Reinalduccio. Ep. XV. Pag. 55.
Roggerio Cani. Ep. LXX. Pag. 164.
Romanis. Ep. LVII. Pag. 141.
Salimbenibus. Ep. XXXIX. Pag. 90.
Senenſibus. Ep. XVIII. Pag. 60. Ep. XXIX. Pag. 72. Ep. XLV. Pag. 98. Ep. LVIII. Pag. 144. Ep. LX. Pag. 147.
Siniſcalco Regni Siciliae. Ep. XI. Pag. 47.
Trinciae. Ep. XXXVII. Pag. 86.
Urbano VI. Ep. LII. Pag. 129.

IN-

INDEX

RERUM

Memorabilium quae in hoc Epiſtolarum Volumine continentur.

ADimari, Verius. Orator Florentinus in bello foederatorum. Pag. 95.
Admiratus Scipio Hiſtoriarum Florentin. Scriptor. Pag. 76. & *alibi*.
Albericus Cunii Comes ductor exercitus Mediolanenſis. Pag. 75. *Ductor gregarii exercitus ſub nomine* la Compagnia della Stella. Pag. 76.
Albertus eſtenſis impetrat Faventiam ab Anglis vi captam, quadam eis pecunia ſoluta. Pag. 81.
Alexander dell' Anocella *ad Pontificem a Florentinis pro pace tractanda miſſus*. Pag. 60.
Andreotti Angelus Domini Loggerii Nobilis Peruſinus. Pag. 92. *repetit Repreſalias contra Eſculanos*. Ibid.
Angelus Pandolphinius Orator Populi Florentini ad Pandolphum Malateſtam pro morte Galeotti. Pag. 145.
Antipodas dari apud doctos veteres viros ſententia. Pag. 178.
Antonius de Monte Feretro Urbini Princeps. Pag. 99.
Antonius del Vigna mercator Florentinus Romae degens Pag. 171.

Antonius de Wulparia notarius moritur Florentiae. Pag. 184.
Antonius Luperi filius. Pag. 169.
Antonius Ser Chelli Orator Florentinorum. Pag. 184.
Aquae Lucenſes, ſeu Balneae. Pag. 2.
Arretini diffident inter ſe. Pag. 186.
Arretium a Conciaco occupatum. Pag. 8. *Florentinis venditum die 20. Novembris* 1384. Pag. 129.
Archiepiſcopus Coſentinus Orator Reginae Ioannae ad Pontificem, ut eum cum Florentinis conciliaret. Pag. 82.
Aſtorgius Manfredi Faventiae Dominus Faventiam recuperat. Pag. 76. & 96.
Banderenſes quid ſint. Pag. 56.
Bartholomaeus Archiepiſcopus Barenſis, idem ac Urbanus VI. Pag. 20.
Bartholomaeus de Sancto Severino in Aſculana defenſione eques creatus. *Taxatur in flor*. CCC. *pro ſingulis menſibus*. Pag. 85. *Laborat, ut Eſculi lites componantur inter Boſſum de Maſſa & Pariſianum & Franciſcum D. Napoleonis*. Pag. 91.
Beltrandus Alidoſius Imolam uſurpavit. Pag. 85. *Taxatur in flor*. CCCCL. *pro ſingulis menſibus*. Pag. 85.
Bernabos Vicecomes inſidias ſtruit Galeacio adhuc puero. Pag. 15. *Oratores Florentiam mittit*. Pag. 77. *Proteſtationem Pontifici faciendam a Florentinis habet*. Pag. 78.
Boſſus de Maſſa plurimum laborat in obſidione Eſculana. Pag. 65. *Commendatur a Florentinis Ranaldo*. Pag. 66.
Boncianorum Familia Florentiae extincta. Pag. 132.

Bran-

Branca de Salamonis de Civitate Caſtelli, Pag. 160.
Britones per Maritimam Senenſium excurrunt. Pag. 144. *Fugantur a Dominio Senenſium*. Pag. 250. *Debellantur a Comite Lutio*. Pag. 153.
Cardinales Gallici Anagniae Clementem VII. contra Urbanum VI. eligunt. Hortantur, ut Urbanum agnoſcant in verum Pontificem. Pag. 19. *uſque ad* Pag. 38.
Carolus de Durrachio commotus a Pontifice in Italiam deſcendit Ioannam Reginam depoſiturus. Pag. 63.
Carolus Rex Siciliae. Pag. 132.
Carolus a Petramala conſentit Arretium ab Andegavenſibus capi. Pag. 103.
Caſtrum Sancti Angeli idem ac Moles Adriani, & Caſtrum Creſcentii. Pag. 41.
Conradus Vertingher Comes, Germanus Comitis Lutii in auxilium Peruſinorum. Pag. 52.
Colucius coronatur ut Poeta ubi antiquitus erat Amphiteatrum. Pag. 60.
Colligati qui fuerint. Pag. 84. *Cuiuſque eorum taxatio*. Pag. 85.
Conditiones, quas Gregorius Pontifex Florentinis petebat, ut cum eis pacem firmaret. Pag. 151. & 162. & 179.
Coppoli Cammillus Senator Florentinus & Marchio. Pag. 58.
Coppoli Ioannes Capitaneus Populi Florentini. Pag. 54.
Clementini quid ſint. Pag. 116.
Dantes Poeta Florentinus. Pag. 75.
De Appiano Vannes.
De Concy, vel Conciaco invadit Arretium. Pag. 8.

De

De Vico Praefectus in rebellionem ſubſcitat Viterbienſes. Pag. 53. *Florentini cum conſolantur de morte Germani*. Pag. 64. *Mittunt ei pecuniam*. Pag. 73. *De belli eventu dubitat*. Pag. 74.

Doffus de Spinis mercator Florentinus Romae degens. Pag. 171.

Enguerranus de Concy. Vide De Concy.

Epiſcopus Florentinus Rhaetor. Pag. 183. *Sermonem de fine ſeculi compoſuit*. Pag. 184.

Epiſcopus Caeſenae Orator Pontificis. Pag. 11.

Eſculani obſidionem Britonum ſuſtinent. Pag. 52.

Faventia capta ab Anglis, & ab Alberto Eſtenſi pretio recuperata, & deinde ab Aſtorgio ope foederis ei ſublata. Pag. 81.

Firmani liberant ab oppugnatione Britonum civitatem Eſculanam. Pag. 57.

Florentini ſe excuſant cum Duce Ianuenſi quod oratores miſerint Romam ad firmandum foedus cum Gregorio XI. ſine ſociorum conſenſu. Pag. 88. *Semper ſervare fidem ſociis ſolent* ibidem. *Hortantur Senenſes ut fidem ſervent*. Pag. 72. *Minantur Trinciam, niſi ſe abſtineat a vexando Peruſinos, & Aſſiſinates*. Pag. 88. *Hortantur Ioannem Haucud ne moleſtiam Bononienſibus ferat cum per eorum dominium exercitum ducit*. Pag. 89. *Hortantur Arretinos ut eiiciant Ioannem Albergottium eorum urbis Epiſcopum*. Pag. 104. *Arretinos vituperant, quod Epiſcopum Albergottium non alia poena quam in pecuniae ſolutione damnaverint*. Pag. 106. *Hortantur Dominum Haucud ne pugnam ineundo, in diſcrimine ponat res foederatorum*. Pag. 108. *Iodocum Marchionem Brandenburgenſem hortantur, ut Urbani electionem probet*. 111. & *ſeq. Sequuntur* par-

partes Regis Caroli. Pag. 133. & ſeq. Conqueruntur de occupatione urbis Arretinae. Ibid. Conqueruntur cum Peruſinis eo quod opem non ferant Domino Hancud, qui in eorum defenſione circa moenia Peruſii morabatur. Pag. 136. Originem ducunt a Romanis. Pag. 143. Ioanni Hancud ut in auxilium Senenſium advenerat, imperant. Pag. 144. Pacem petunt a Pontifice eique magnam pecuniae ſummam offerunt. Pag. 151. Eorum fides ut foederatis viis non inferatur. Pag. 152. Peſtis graſſatur Florentiae. Pag. 15. Viget factio plebis quae vulgo de Ciompi dicebatur. Pag. 155. Commendant Comiti Lancuci, & Peruſinis Fulginates. Pag. 161. Cum Pontifice Gregorio querimoniae. Pag. 180. Acrius quam par eſt contra Gregorium inſurgunt. Pag. 181. Gratias agunt Peruſinis, quod de illis bene dixerint. Pag. 190.

Florentia tempore Flori ſplendidiſſimum municipium. Pag. 143.

Franciſcus a Monte Politiano Philoſophus. Pag. 8. Pag. 13. Pag. 170. & Pag. 171.

Franciſcus de Mathelica in Marchia contra Pontificem. Pag. 52.

Franciſcus D. Napoleonis de Eſculo. Pag. 91.

Franciſcus Luperi. Pag. 169.

Franchfort. Civitas Imperii. Pag. 127.

Fulginates a Pontifice deficiunt. Pag. 161.

Galeatius Malateſta Piſauri Domini filius. Pag. 145.

Galeatius Vicecomes, alias Comes Virtutum Mediolani Imperator & Vicarius Generalis. Lamentatur cum Florentinis quod ſibi a Bernabove inſidiae ſtruerentur. Pag. 15. Queritur de Archiguelfis Florentinis. Pag. 17.

Ga-

Galeoctus Malateſta moritur. Pag. 145. *Non convenit cum Britonibus*. Pag. 177.
Galli vocati ſunt Schiſmatici, eo quod partes Clementis ſequebantur, Pag. 129.
Gambacurtarum Gens Dominium Piſanum habuit. Pag. 140.
Garfagnana regio inter ditionem Lucenſem, & Mutinenſem. Pag. 3.
Generalis Servorum B. M. V. Pag. 183.
Gerinia Familia heres Boncianorum. Pag. 132.
Groſſetum fruſtra adtentatum a Britonibus. Pag. 147.
Guido de Polenta Ravennae Dominus. 85. *Taxatur pro bello in flor*. MCC. *pro ſingulis menſibus* Ibid. *Lamentatur de damnis ei ab Anglis inlatis*. Pag. 101.
Guido de Petraſancta. Pag. 2. & 185.
Henricus Paer Foederatorum ductor vir fortiſſimus. Pag. 95. *Militat in agro Senenſi*. Pag. 97. & 98.
Hugolinus Sabatinius Bononienſis copiarum ductor in bello Piſano. Pag. 99.
Iacobus Manni. Pag. 7.
Iacobus Bernardi Commiſſarius Reip. Florent. Pag. 70. & ſeq.
Iacottus & Roggerius Commiſſarii Dom. Bernabovis. Pag. 77.
Innocentius VII. P. Max. Pag. 5.
Ioanna Regina Ieruſalem. Pag. 61. *Oratur a Florentinis ut eis opem praebeat ad pacem firmandam cum Pontifice*; ibidem, & Pag. 166. *Oratores ad Pontificem mittit*. Pag. 82.
Ioannes a Barbiano Dux exercitus Bononienſis. Pag. 76.

Ioan-

Ioannes Albergotti Epiſcopus Arretinus profeſſione Monachus Arretinos ad partes Pontificis trahere tentat. Pag. 104. *Sperabat ſe dignitatem Cardinalatus conſecuturum.* Pag. 139.
Ioannes Haucut, vel Acutus, vulgo Aguto *ductor Anglorum.* Pag. 67. *Conducitur a Bernabove pro confoederatis.* Pag. 82. *Groſſetum a Britonibus defendit.* Pag. 148.
Ioannes Malaſtretta Britonum Dux. Pag. 57.
Iodocus Marchio Brandemburgenſis & Moraviae. Pag. 110. *Franchofurii ad eligendum Imperatorem exſtat.* Pag. 128.
Iuſtus de Volaterris. Pag. 169.
Lapus Moſtbardae. Pag. 188.
Laurea pro Colucio incerti Autoris. Pag. 157.
Leonardus de Arretio Secretarius Summi Pontificis Innocentii VII. Pag. 1.
Leonardus de Montalto cum Ianuenſibus convenit. Pag. 50.
Lugo. Oppidum ſub ditione Marchionis Eſtenſis. Pag. 81.
Lutius De Lando Comes, Florentinarum & foederatorum copiarum ductor, cum Rodulpho a Camerino praelium committens, victor evadit. Pag. 94. *Maiorem gentium numerum petit* 95. *Militat in Patrimonio* Pag. 97. *Rodulphum usque ad moenia Tolentini inſequitur.* Pag. 153.
Malateſtarum familia dominium habet Caeſenae, Piſauri, & Arimini. Pag. 146.
Mallianuni Oppidum Senenſium. Pag. 144.
Mannus Dominici Curialis Florentinus. Pag. 184.
Marchiones Eſtenſes Vicarii munere pro Eccleſia Ferrariae funguntur. Pag. 75.
Marcolfus Roſſius copiarum ductor in bello Piſano. Pag. 99.

Mar-

Marcus Tarlati Pietramalani Florentinis venditio-ne tradit. Pag. 130.

Matthaeus de Geſualdo Orator Reginae Ioannae ad Pontificem, ut eum cum Florentinis conciliaret. Pag. 82.

Michael Vanni ſeu Lotti ad Pontificem miſſus pro pace firmanda. Pag. 60.

Nicolaus Acciaiolus Siniſcalcus Regni Siciliae. Pag. 47. *Florentini eum hortantur ad liberationem Italiae*. Ibidem. *Et commendant Reip. Oratores*; ibidem.

Nicolaus de Monte Feretro detentus. Pag. 99. *Erat ductor militum gregariorum, qui vocabantur:* La Compagnia del Cappelletto.

Octo cives qui praeſunt bello contra Pontificem vocantur gli Otto Santi. Pag. 163.

Otto Pontificem conſulit ut Italis pacem reddat. Pag. 62.

Pariſianus D. Napoleonis de Eſculo. Pag. 91.

Pazzinus Strozza ad Pontificem orator miſſus pro pace firmanda. Pag. 60.

Peruſini conqueruntur cum Florentinis, & Britones timent. Pag. 51. *Maiorem gentium numerum petunt*. Pag. 93. *Solvunt in foederatorum bella pro ſingulis menſibus quinquaginta & quatuor millia Florenorum*. Pag. 93.

Petrus Corſinus Cardinalis Portuenſis Epiſcopus Tit. S. Rufinae S. R. E. Cardinalis de Florentia nuncupatus. Pag. 39. *Erat Decanus S. Collegii*. Ibidem. *Defecerat ab Urbano VI*. Pag. 41. *Hortatur a Florentinis, ut partes Urbani ſequatur*. Pag. 79. & *ſeqq*.

Petrus de Muglo vel de Mulgo Medicus Bononienſis. Pag. 167.

Pe-

Petrus Gambacurta a Piſana civitate expulſus. Pag. 140. *Piſis reſtitutus* ibidem.

Petrus Guicciardinius orator Florentinorum ad Pandolphum Malateſtam pro morte Galeocti Malateſtae. Pag. 145.

Petrus Monachus Servita. Pag. 170.

Petrus Turcus. Pag. 9.

Poggius Brandolinus a Terra Nova. Pag. 4. *Magiſter Epiſtolarum Summi Pontificis*. Pag. 13. *Recipitur inter familiares Archiep. Barenſis*. Pag. 175.

Ramundus Pontificis Clementis VII. ex fratre nepos ductor Britonum in Italia. Pag. 145.

Reinalduccius vir potens in Dominio Eccleſiaſtico. Pag. 55. *Florentini ei commendant Boſſum de Maſſa*. Pag. 66. *Reinaldus, Ranaldus, & Reinalduccius unum & idem nomen*. Pag. 66. *Lamentatur cum Florentinis quod receperint in foedere Boſſum de Maſſa*. Pag. 69. *Concitat rebellionem Firmanam*. Pag. 71.

Robertus Cardinalis Bituricenſis, idem ac Gebennenſis & Geneuenſis miſſus a Gregorio in Italiam cum Britonibus. Pag. 67. *Creatus Ananiae Pontifex nomine* ibidem *Clementis VII.*

Rodulphus a Varano creatus Imperator exercitus Florentini. Pag. 51. *Camertum Comes, totius Florentini exercitus Imperator*. Pag. 70. *Taxatur in flor.* DC. *pro ſingulis menſibus*. Pag. IX. *Deficit a Florentinis, & ad Pontificem redit*. Pag. 153. *Perſecutus eſt uſque ad moenia Tolentini*. Pag. 153.

Roggerius Canis Collateralis Domini Bernabovis. Pag. 103. *Adeſt in expugnatione Arretii*. Pag. 103. *Tradit quaedam Florentinis capitula*. Pag. 164.

Sa-

Salimbenorum Familia ex Primariis Senenſibus. Pag. 90.
Silveſter Buda Ductor Britonum. Pag. 57.
Sinibaldus Ordelaffius creatus cum omnibus eius nepotibus civis Florentinus. Pag. 103.
Tarlatorum Familia Arretina ab eorum fortiſſimo Caſtello Petramala *nuncupato a* Petramala *dicta*. Pag. 130.
Tommaſius Ruffolì cum Florentinis conqueritur de damnis ab Anglis, & Forolivienſibus Guidoni de Polentà inlatis. Pag. 102. *Primus qui Florentiae Vexillifer Iuſtitiae, ex hac familia fuit*. Ibidem.
Trimias Trincii Comes Fulginatenſis nobilis. Pag. 86. *A. Florentinis obiurgatus, quod Peruſinis & Aſſiſinatibus bellum diſcurſorium tulerit*. Ibidem. *Ludovici Hungariae Regis partes ſequitur*. Pag. 88.
Tucillus Dentices Orator Reginae Ioannae. Pag. 166.
Vannius. Franciſcus de Ancharano. Pag. 176.
Urbaniſtae quid ſint. Pag. 116.
Urbanus VI. Pontifex. Poſtulatus a Florentinis ut impoſitionem Clericorum, tam Florentinae quam Faeſulanae Dioeceſis concedat. Pag. 129.
Wulfus miles a Praefecto ad Florentinos pro habenda pecunia miſſus. Pag. 73.
Zambeccarius Peregrinus Bononienſis. Pag. 155.

LINI COLUCI PIERI SALUTATI EPISTOLAE

I.

DOMINO LEONARDO DE ARRETIO SECRETARIO SUMMI PONTIFICIS (1).

VIr egregie, cunctis dilectionis effectibus excolende, frater hactenus, et amice, nunc autem pater in Chriſto, quoniam ſuo Vicario ſervias, venerande. Exſpectavi diu, quod ſcriberes, ſiquidem in ſcribendo primae partes ſunt, non eorum, qui remanent, ſed illorum potius, qui diſcedunt, niſi forſan aliquid acciderit, quod officium exigat immutari. Exſpectavi, fateor, avidus, qualis excepiſſet te fortuna protinus ex te ſcire. Gratiora quidem iſta ſunt, ſi ab eadem perſona perceperis, quam ſi aliunde te contigerit illa ſcire. Quum enim amicus de ſucceſſibus ſuis ſcribat, non ſolum

(1) Haec Epiſtola ſcripta eſt An. MCCCCV. Menſe Iulio.

id percipitur, quod factum eſt; ſed etiam quanti faciat eventum rei, quoque animo ſuſceperit, nec quanti ſolum, ſed cur tanti duxerit, ſolet oſtendi. Habent enim, quae de nobis ſcribimus, neſcio quam, ut ita dixerim, energiam, & longe plura ſecum adferunt, quam enuncient; pleniusque de manu ſcribentium de ſe ſonant, quam ſi ab aliis adnotentur. Sed exſpectabam ruſticus, quod fluat amnis, qui numquam ſit ſuum alveum relicturus; vix enim balnearum (1) veſtrarum relatione, quam celeber frater meus Guido de Petra Sancta fecit, motus es, ut ſcriberes quali te Romana Curia unius Romani Pontificis indulgentia, non ut, ſcribis, Urbs Roma promoverit gradu, quem tanti facis, quod pene videaris optare cum laeto illo noſtro contubernio ſaltem diebus illis pauculis commutaſſe. Ingens, & maximum amicitiae ſignum, tanti facere laetitiam ſocialem. Forte quidem Flacci de more dicis: Nil ego contulerim iucundo laetus amico. Profecto ſi nobiſcum illos ſemper memorabiles dies fuiſſes, ſcriberem tibi Perſianum illud: Hos, Leonarde, dies numera meliore lapillo. Audiſti quidem ex Ser Guidone ſites aridas, torquentes, inextinguibiles, inexauſtasque, quibus quotidie una continue vexabamur. Intellexiſtique iuges potationes illas noſtras plusquam Antonianas, plusquam Bonoſas, quibus ſitim vincere conabamur. Sed ſi vidiſſes, quam ſegnius irritant animos demiſſa per aures, Quam quae ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quae ipſe tradit ſpectator, ut ille ſcribit; ſi vidiſſes in-

(1) Balneas, ſeu Aquas, Lucenſes, ut vocant.

inquam utraſque, iurares ſitim ſine dubio ſuperaſſe potatum, & ingurgitationes noſtras, quae ſicut ſolent fabriles guttae ſuccenſis adſperſae carbonibus vim ignis, quem exagitant flatibus folles, incendere; ſic in nobis ſiccas, & aduſtas ſites illas vehementius accendebant; ut ſitim, non vinum bibere videremur; quodque magis admirere, ſentientes ex potatione ſitis ipſius notabiliter incrementum, unicum illud ſolumque remedium ſitis, potare ſcilicet, verebamur. Niſique fuiſſet iſte metus, exhauſiſſet bibax noſtra cohors totius Garfagnanae (1) dolia, licet undique baccata iugis feraciſſima ſit Lyei. Nec mirum, ſurgentes enim e ſtratis bis in die ad phlegetontaeas (2) illas aquas balneandi gratia pergebamus; e veſtigioque mentum uſque ſubmerſi fervore quantum vix ſufferre quis valeat coquebamur. Et licet exterius ſalutifero madeſceremus humore, vi tamen caloris deſiccabamur interius, aduſtoque pulmone creſcente, cupidine frigoris, & humoris ad redundantes illas potationes pergebamus, accendebamurque mox ad ſuavitatem bibitionum avidiſſime redituri. Nec ſcio quid magis verſaretur inter potationem, & ſitim, neceſſitas an voluptas. Utraque quidem duarum illarum, vernacula de ſiti bibendi neceſſitas de bibendo vero mulcebris ſuavitas oriebatur. Haec haſtenus, atque ſatis de potationibus. Quod rerum genus quum modum omnem tranſierit, vix paſſum eſt de ſe finem

 fieri

(1) Garfaniana, regio inter ditionem Lucenſem & Mutinenſem, ad easdem ſpectans.

(2) Ita adpellat, quod calidae illae ſint.

fieri. Quod autem reſpondiſſe ſcribis mirantibus & mordentibus potationem illam, quam unde proceſſerit noſti, ſcio officioſiſſime te feciſſe, & illiuſce nomine gratias ago. Nec miror Domini noſtri clementiam defuiſſe. Utinam, & Sanctitatis ſuae circumſpectio non conceperit me tam vana, tamque ridicula cogitaſſe; cuperemque quod animum meum Sanctitas ſua videret, vidiſſetque, ut omnis opinio, ſi qua forſan inſurrexerit, aboleretur. Nunc autem, ut ad principium redeam, exſpectavi quod ſcriberes aſſumtionem tuam, ſed fruſtra. Ut adhuc neſciam qua fronte, quibus fautoribus, quibus etiam obiicientibus, quibusque conditionibus emerſiſti, qua principis benivolentia utaris; quid habeas, quidque ſperes; facies autem hoc quum voles, forteque quum poteris. Principia quidem rerum, novitate, & inſolentia, etiam expertiſſimos premunt. Cogito mecum, bonum eſſe, quod Domino noſtro ſcribam, gratulerque de promotione tua, pauciſque celebratum laudibus te ſuae Beatitudini recomendem. Hoc breviloquio feci, cuius copiam videbis, & de praeſentando facias, ut in rem videris eſſe tuam. Vale felix. Florentiae XI. Kalendas ſextilis. Poſt haec, litteras habui tuas, quas Poggius (1) noſter, ut arbitror reſcripſit, cui debitor ſum, reſpondeboque non acriter, ut invexit, ſed ita, quod diſcat parcius male dicere; nec voluntatem reputet rationem, iuvenis diſcatque parce re ſeni. Sed ad litteras rediens tuas, gaudeo te

(1) *Poggius Brandolinus* a Terra nova, Vir eruditus Saeculi XV. notiſſimus.

te aegritudinis moleſtia liberatum, ad cetera prope diem reſpondebo. Florentiae VIII. Octobris.

II.

DOMINO PAPAE (1).

Neſcio cui magis gratuler, *Sanctiſſime* in Chriſto Pater, & Domine, vere ſucceſſor Petri, uniceque Vicarie Jeſu Chriſti: Tuae ne Sanctitati, an filio dilecto Leonardo Arretino, quem in tuum a ſecretis noviter adſciviſti, laetor. Equidem, & exſulto, quod tibi talis ſervitor acceſſerit, qualis Tua Sanctitas indigebat. Non quod bonos, & induſtrios non haberes, ſed quoniam quotquot tibi boni contigerit, vel Dominis aliis, in quorum manibus orbis terrarum eſt, ſemper pluribus egeretis. Laetor igitur, & exſulto contigiſſe talem Tuae Beatitudini ſervitorem, aetate juvenem, corpore validum, aſpectu gratum, ſcientia clarum, eloquentia ſingularem, Latinis excellentem literis, peritum non mediocriter Graecis: quodque ſuper omnia precioſum eſt, integra fide, & ſingulari bonitate praeſtantem. De quibus quidem omnibus licet pleraque videas, & omnia forte perceperis, ego tibi verax

(1) *Innocentius VII* anno MCCCCIV. Pont. Max. renunciatus eſt, eique hanc Epiſtolam ſcribit *Coluccius* anno inſequenti MCCCCV. quo *Leonardus* Arretinus Pontificiarum Epiſtolarum Magiſter electus eſt.

rax, & fideliſſimus teſtis ſum. Quum enim ipſum jam diu recepiſſem in filium, & ipſe ſe totum converſatione domeſtica mihi dederit, totum adgnoſco, totumque diſcuſſi, nec me poteſt in aliquo tanto tempore latuiſſe. Continua, & ſtudioſa nobis conſuetudo fuit, & quum de cunctis, quae componerem, iudex eſſet, & ego ſuarum rerum arbiter, verſa vice nos mutuo, ſicuti ferro ferrum acuitur, exercebamus. Nec facile dixerim, ex hoc dulci, & honeſto contubernio uter noſtrum plus profecerit. Uterque tamen eruditior evaſit; ut fateri oporteat mutuo nos nobis fuiſſe viciſſim diſcipulos, & magiſtros. In quorum memoria, dum hoc ſcriberem nimis commotus ſum, quum me ſentiam tali ſocio, talique praeſidio deſtitutum: Maxima quidem certitudine, de quacumque re amborum conſentiret auctoritas, tenebamur. Nunc autem nec habeo quem doceam; nec etiam á quo diſcam. Sed haec ſatis. Tuo quidem commodo, & honori ſuo, mea decet incommoda poſthabere; jamque ad Leonardum noſtrum pro concluſione revertatur oratio: Habes virum aptiſſimum rebus magnis, virum facilem, & integrae conditionis, & meriti. Scio quid loquor, & quod Chriſti Vicario verum loquor. Quamombrem hortor, et opto, quod Tuae clementiae, & humanitati carus ſit; & eum, quum expertus fueris, pro meritis honores ſuis, qui vix cognitum honoraſti. Quibus, quidquid fides, & devotio mea meretur, accedat ſupplico. Me quidem in ipſo, quum pluſquam dimidium animae meae ſit, reputabo, ſicut eum honoraveris, honoratum. Et haec ſatis. Spero

quis

quidem ſine meis, & aliorum ſuffragiis benignitate Tua, & virtute ſua gratiam, ſuis meritis debitam, in Tuae Sanctitatis oculis reperturum. Pro honore vero ſuo, et quia talis ſibi contigit Dominus, qualem poteſt, immo debet, quicumque ſervire maioribus ſe diſponit, optare, virtute ſummum, benignitate conſpicuum, natura humilem, munificentia largifluum, mente, intelligentiaque praeſtantem, quique neminem naſo ſuſpendat adunco, ut Flaicus ait, gratulor tota mente. Spero quidem virtute tua, et probitate ſua videre ſcientiam, quod rariſſimum ſit, pro meritis honoratam. Vale Pater Sanctiſſime. Sunt qui putent me tibi illa prima epiſtola diſplicuiſſe; quod et ego verere; niſi quod te, nihil reſpondendo, ſuaſi mihi, Te laeſum a me in aliquo non putare. Nec humilitatis enim, nec benignitatis eſſet parcere, vel leviter Tuam Celſitudinem offendenti. Florentiae VIII. Idus Sextilis.

SER JACOBO MANNI. (1)

III.

CAriſſime compater, frater optime, amice cariſſime. Jam bis, novit Deus, decem ducatos mutuatus ſum, quo ſubvenirem aliqualiter indigentiae tuae, nec adhuc potui de reſiduo cum aliis convenire. Nunc tan-

(1) Haec Epiſtola ſcripta Anno MCCCCV. videtur, Menſe Auguſto.

tandem Ser Tomaſius tuus, & ego, mittimus tibi ducatos viginti, pro quibus ſolvimus florenos viginti unum, & ſoldos ad florenos. Meis utere ſicut libet. Litteras comendaticias ad Rodulſum, & teſtificationis illius Notarii a Maieſtate Domini, impetravi, & mitto. Hæc hactenus. Nunc autem firmiter teneas me diligere noſtrum magiſtrum Franciſcum (1) ſuarum virtutum meritis, velut fratrem. Sed negotia Studii ſunt adeo diminuta, & pro praeſenti anno tam expedita, quod modum ſuae vocationis omnino non video; timeoque quod memoriales, litteras, quas privatim ſcripſit dum præſidet in patria, tempore quo Dominus de Conciaco invaſit Arretium, quum in maxima civium frequentia lectae fuerint, & aliae quas ad Ducem Mediolani ſcripſit pollicendo ſalutem; Vannis de Appiano in deſpectum, & diſplicentiam Florentinorum; & alia quaedam quorum vulgata nimis, & conſtans hic fama eſt; ſi tentavero procurationem, quam ego tecum cupimus, interpellabis. Nimis enim delicatae ſunt iſtorum Civium aures, offenſionumque publicarum gravis, tenaxque memoria. Tentabo, tum ſi tibi, ſibique videbitur; & haec diluam, quanta potero diligentia; nec votis noſtris deero. Adſpiret, opto, fortuna, divina ſcilicet diſpoſitio, quae quidem deeſſe poterit, non voluntas. Terrent autem me plurimum quidam ſui loci ordiniſque, quorum aliquis in re publica plurimum

(1) Magiſtrum *Franciſcum* a *Monte Politiano* intelligit, qui Philoſophiam profitebatur, & ad Cathedram aliquam adſpiraſſe videtur.

mum poteſt. Tu, & ipſe conſulite. Juſſa quidem pro facultate faceſſam. Nimis enim facerem quod tanti viri frui poſſem adloquio, & ſua ſcientia quotidie de plurimis declarari, quae me turbant. Haec hactenus. Semel diſcuſſi an amicus veritati, vel amico veritas praeferenda. Nuper etiam diſputavi numquid plures amicos quis poſſit habere. Poſtquam Magiſter Franciſcus non dimittens phyſica ſicut Socrates, ſed Phyſicis Moralia copulavit, liberioribus delectatur ſtudiis. Scito ſi vult nugas meas videre, & mox ut iuſſerit epiſtolas meas, illas mittam. Forte quidem, & ſi prodeſſe non poterunt, non nocebunt. Vale, & illum plurima ſalute proſequitor. Florentiae VI. Idus Sextilis.

VI.

AMICO INNOMINATO. (1)

FIli Cariſſime. Fida relatione percepi quod quum vacaret officium a ſecretis, cui Leonardus Arretinus noſter, ſocius tuus, et frater tuus, & quam coniunctionem ſuper omnes nexus, et vincula, dulciſſimam arbitror, ſtudiorum noſtrorum ſectator, et aemulus tu fuiſti ſuper omnes, et ante omnes Florentinos, ut decuit requiſitus. Et ſicut te ſemper humilem inambitioſumque geſſiſti, procurationem hanc penitus recuſaſti. Quo factum eſt, ut hinc Leonardus juſſu Summi Pontificis vocaretur. Quumque

(1) Scripta eſt anno MCCCCV. menſe Auguſto.

que foret honorabiliter, et gratioſe receptus non in ſpem, ſed in certitudinem officij praelibati, tu velut experrectus ſomno, in ambitionem accenſus, factus es, ei, de gradu, quem recuſaveras, competitor, cepiſtique recuſatam dignitatem dominorum, amicorumque ſuffragiis procurare. Potes video totum hoc intenſione dilectionis, et amoris pro te intercedentium adſcribere, qui ſoleant et nolentibus, et ignorantibus amicis eſſe de amicorum honoribus curioſi; totamque rem hanc a tuae inurbanitatis crimine removere. Idque plane tibi crederem; non enim ab amicitiae cultu, tuiſque moribus abhorreret. Sed quum recepiſſet dominus noſter Innocentius, a neſcio quo Principum Galliae litteras dicaciſſimas, et varia continentes, commiſit Leonardo reſponſum. Tu ſimiliter dictandae reſponſionis officium adſumſiſti; velut, cum ipſo ludis Olympicis de rhetorica certaturus. Quod quidem quum ſcires Leonardo commiſſum, nec per te facere, nec iuſſum etiam a Domino tuo ſuſcipere debuiſti. Iſte labor, et iſta certatio manifeſtum argumentum evincenſque pro dedecore fratris, et amici tui, quod minime decuit, exoptaſſe. Quod profecto, cariſſime fili, graviter admiror, et doleo, nec video quod ex bono potuerit fundamento procedere. Si movit enim hoc ambitio, malum fuit, ſed tolerabile, licet grave. Si forſan invidia, gravius, et reprehenſione dignum. Sin autem malevolentia, graviſſimum, et quod, quum nulla ſubſit ratio, excuſari non poſſit. Cupio quod haec non ſint vera, et quod inter te, et illum, ſit ſumma concordia. Cupio quod quum utrique ſim pater, ſitis mutuo fra-

tres

tres, quod invicem vos colatis, diligatis, ametis. Unus alterum laudet, alterum extollat. Alteri virtutis, et bonitatis teſtimonium ferat. Contimini vobis invicem, converſemini ſimul; conſeratis mutuo; nolite pati, quod inſolentia, velut rubigine ferrum, amicitia obducatur veſtra. Ambo poteſtis eſſe veſtris virtutibus glorioſi, ſi volueritis invicem vos fovere. Scitis invidiam, cui virtus omnis ſubiacet. Habet enim haec tot hoſtes, quot ſunt invidi, quot pravi. Vos ipſi mutuo vos poteſtis celebrare, obſcurareque. Verum quia bonitati tuae pauca ſufficiunt, finem faciam. Tu vale memor mei. Florentiae III. Idus Sextilis.

V.

PETRO TURCHO. (1)

VIr inſignis, filique cariſſime. Veneratus ſum primae congreſſionis intuitu Dominum Epiſcopum Caeſenatem. Veneratus quidem ut Epiſcopum, ut illiuſce mei, tuique Domini ſollemniſſimum Oratorem, (2) non illa veneratione, quam tuae breviſſimae ſcriptionis atteſtatio merebatur. Occupatiſſimus, etenim

(1) Scripta eſt Anno MCCCCV., ut videtur, & menſe Septembris.

(2) Erat igitur Pontificis Maximi orator, ſeu legatus.

nim fui iam diebus duodecim, & ultra menſem (1) Septembrium ero, ſcrutiniis publicis, quae patres noſtri, Romanum genus, comitia ſolebant adpellare, quibuſque ſtatus rerum, & Reipublicae moderatio noſtris moribus ſtabilitur. Nec ſcio ſi poſt hac eum potero convenire. Quum hucuſque ſcripſiſſem, captavi tempus, & ipſum audivi, dulcique ſua collocutione fruitus, plus inveni, quam ſcribas. Vir enim eſt, quantum unius, & longæ confabulationis tractu percipi potui, bonus; &, quod certe patuit, eruditione multa peritus; &, quod in Epiſcopo ſumme placuit, ſacris inſtitutus litteris, quas optime novit, & promtiſſime recordatur, fuitque conſolatio maxima tantis pro optimo viro frui. Una re tantum deceptus ſum, quod eum ipſum propter horam arbitrarer (erat enim jam crepuſculum) putaremque coenatum eſſe; tandem, propendi, quod adhuc eſſet incaenis. Metuoque quod ſibi gravis forte fuerim, & inurbane me geſſerim, qui ſatur caenaturientem longo ſermone vexaverim. Sed dum ille benigne, prolixeque ſatis miraque ſuavitate reſpondet, neſcivi modum adhibere; neſcivit ipſe. Quidquid autem fuerit ſcio mihi, putoque ſibi, mutuos illos ſermones jucundos fuiſſe. Siquidem attentus audivit, benignuſque reſpondit, recomendationeſque, quas ſibi de te feci, ſuſcepit alacriter, pluraque, quam peterem, repromiſit. Sed hæc ſatis. Melius enim ex eo cuncta cognoſces. Nunc ad litteras veniam tuas. De præfato quidem tem-

(1) Septembrium dicit more Graecorum, apud quos Σεπτέμβριος Οκτώβριος &c.

tempore ſcribens ais; Nec alia ſum ſecuturus. Nam cetera ipſe ſua benignitate tibi vivis affatibus indicabit, meque tibi ore proprio recommittet, commiſſionemque talem efficaciorem faciet tanti temporis auctoritas.

VI.

MAGISTRO POGGIO. (1)

QUod tam ſubito creveris, & exaltatus ſis, humaniſſime Poggi, & eo perveneris, quo vix unquam tanta brevitate temporis cogitare, ne ſperare dixerim, potuiſti, laetor, & gaudeo; gratulorque tibi præter expectatum tam iucunda, tamque grandia perveniſſe. Velim autem hoc ne tibi, ne virtuti, vel prudentiae tuae ſtultus adſcribas. A Domino prorſus factum eſt iſtud, & admirabile in oculis noſtris. Cogita parumper quot erant in Romana Curia, qui te meritis, laboribus, & tempore praecedebant, qui multos habebant diuturnitate converſationis, longiſque ſervitiis promotores. Tu novus, & cognitus, cunctis antepoſitus es. Cunctis Dei gratia, favoreque reverendi Patris Domini mei Franciſci de Monte Politiano, cuius nomen in gloria, & aeternitate ſit, adgregari Scriptoribus Apoſtolicis meruiſti; quoque rectius loquar: ſine meritis adſumtus es. Dubius pendebas anxiuſque de lucro, quodque te non oporteret cum

(1) Scripta videtur anno MCCCCVI. menſe Februario.

cum onere conſcentiae, lucrifacere verebaris. Et ecce quanta gratia, quantoque dei dono factum eſt, ut ad id promotus fueris, unde tibi lucrum pares, & conſcientiam non offendas. In Deum ergo erige cor tuum, fac ut illum ſemper in oculis habeas, facque Deum in aliquo non offendas. Fac patrem tuum, & Dominum tuum, Dominum Franciſcum coneris taliter honorare, quod eum non poeniteat promotionis, quam de te fecit; ſed in dies ad maiora pro te eum, ſi fieri poteſt, accendas. Accendetur autem, ſi te curabis dignum officio reddere; ſi conaberis ut maiora merearis. Si te gratum in eum cultu reverentiaque exhibebis; ſi ſtabit tanti beneficii memoria; nec memoria ſolum, ſed effectus; ſed opera iugis; ſed opus, & effectus, ut id rependas, quod quantacumcumque retuleris, non valebis expungere; hoc eſt adaequare recepta cum datis. Nec a me, quod facis, iſta reputes, ſed a Deo, ſed a Domino Franciſco, cui quidquid feceris debitor ſemper eris; quantum enim tibi quotidie ſportula reddet, officii tantum ei te debere iudicato. Refero gratias Domino Franciſco per meas litteras in forma, quam proxime ſcribi feci: praeſenta ſibi litteras, atque vale. Florentiae III. Idus Februarii.

MA-

VII.

COLUTIUS POETA FLORENTINUS PRO MAGNIFICO ET EXCELSO SUPER OMNES CIVITATES COMUNI FLORENTINORUM COMITI VIRTUTUM AC MEDIOLANI IMPERATORI VICARIO GENERALI. (1)

MAgnifice & excelſe Domine Frater & Amice cariſſime. Literas magnificentiae veſtrae nuper accepimus, per quas nobis veſtra Caritas intimavit, quot & quantae contra vos hactenus fuerint per quondam magnificum Fratrem noſtrum D. Bernabovem inſidiae praeparatae, quot vobis & veſtris intulerit iniurias & offenſas, quidque demum in caput & ſalutem veſtram (proh dolor!) perficere ſatagebat, & denique quid oportuit contra tot inſtructa pericula providere. Quae commemorando, cariſſime Frater, horrent mentes inenarrabili ſtupore perculſae. Quis non horreat videndo tantum potuiſſe pacis & humani generis inimicum, qui inter tam diſtrictos agnationis, & affinitatis nexus tale diſpendium, taleque ſcandalum cogitavit? Quis non ſtupeat audiendo inde tanti Domini ruinam; hinc vero

(1) Haec Epiſtola Duci Mediolani *Ioanni Galeacio* adhuc Puero ſcripta eſt, quum ei a Patruo *Bernabove* tutore inſidiae ſtruerentur. Obiit *Bernabos* anno circiter MCCCCLXXXV. veneno *a Galeacio* petitus.

ro puritatem & innocentiam veſtram tot potuiſſe funeſtis conſiliis impeti, totque modis & periculis? Sed cuſtodivit profecto Deus puerum ſuum, qui & quondam David de manu perſequutoris ſoceri deliberavit. Quid autem prius facere debeamus; an hoc inter nos ſcandalum fideli deploratione conqueri; an nobiſcum de ſalute veſtra laetari? Satis exploratum, Frater Cariſſime, non habemus utrum quidem jubeat vera dilectio, quia vos proſequentem peramamus. Utrumque igitur poſtquam ſic veniunt bona conjuncta malis quantum exigit rerum conditio, faciamus. Dolemus itaque tantas & tales cauſas huiuſmodi inter vos diſſidiis ſubgeſtione Diabolica concurriſſe. Laetamur autem, poſtquam illud erat in fatis, hoc eſt in aeterna Dei diſpoſitione, vos incolumes tot pericula vitaviſſe. Scimus enim quod per vos factum eſt, totum ſecuritatis procurandae neceſſitudine fore geſtum. Speramus etenim quod haec tanta rerum veſtigia in exſultationem veſtrae caritatis & ſanguinis, fortificationem Italiae, Amicorum conſolationem, & noſtri Communis praecipue redundabit. Data Florentiae &c.

GA

VIII.

GALEATIUS VICECOMES VIRTUTUM MEDIOLANI ET IMPERATOR ET VICARIUS GENERALIS COMUNI FLORENTIAE. (1)

PAcem Italicam hactenus indeſeſſa intentione quaeſivimus, nec laboribus pepercimus nec impenſae. Optabamus enim quod laſſata longe guerris Italia, ſemper temporibus noſtris in pace quieſceret. Idque tanto animi ardore flagravimus, ut nonnumquam per malos interpretes vitio nobis adſcriptum fuerit; quod humanitate & caritate facere nitebamur. Sed heu omnia fruſtra tentavimus praevalentibus conſiliis reproborum! Maluit enim; non dico Magnifica Veſtra Comunitas, de qua nihil tale opinari poſſemus; ſed paucorum Arciguelforum veſtrorum ſeu rabies, ſeu diffidentia male fundati & tremuli ſtatus ſui, qui florentem illam civitatem ſub libertatis ſpe tyrannizant, guerram quam pacem eligere. Et pacis indignam patriam, & Italiam pro magna parte ſtrepitibus bellorum violatam, & quod execrabilius eſt ingerendo damnum, & inextimabilem iacturam magnificorum filiorum noſtrorum Senenſium, & Peruſinorum, ignominiamque noſtram occulte primo, quantum fieri potuit; & tan-

 dem

(1) Haec Epiſtola ideo heic editur, quod in eodem Codice inter Colucii Epiſtolas occurrerit.

dem palam foederibus univerſalis Ligae, quae fuerat longis tractatibus, & validis ſolemnitatibus conſummata. Utinam in ipſos ſolos, & non in alios pacis avidos, & in ipſorum capita, & non in ipſam miſerandam patriam deteſtabilia haec ſua conſilia & opera redundarent. Quibus praeter naturam noſtram; & omne noſtrum propoſitum ad ulciſcendum inlata filiis ac amicis noſtris contra conventa Ligae foedera, innumerabiles offenſas adverſus tyrannizantem Arciguelſorum veſtrorum ſtatum a die praeſentationis huius in antea diffidentiae neceſſario provocamur. Datum Papiae XVIII. Aprilis MCCCLXXX.

IX.

CARDINALIBUS GALLICIS CUNCTAE FIDELIUM MULTITUDINIS NOMINE LINUS COLUCIUS SALUTATUS.

Reverendiſſimi in Chriſto Patres, & Domini.

QUanta cordis amaritudine, quantoque cum doloris aculeo, Reverendiſſimas Paternitates Veſtras audiverimus a Sanctiſſimo Patre noſtro, & vero, ac digniſſimo Chriſti Vicario diſſidere, prout in veſtris litteris publice notaviſtis, nec lingua poſſumus exprimere nec per ſcripturae quantuncumque ſe in longiſſimum protendentis officium deſigna-

gnare. Nec miretur Paternitatum veſtrarum reverendiſſima dignitas, ſi fidelium multitudo ſingulariſſimae, & inconcuſſae devotionis ad Sanctam matrem Eccleſiam, & conſtantiſſima cultrix Fidei Chriſtianae in tanto Eccleſiae Sanctae diſſidio fideique Orthodoxae periculo turbatur, ingemit, & tabeſcit. Quis enim adeo ſaxeus eſſet, quis tam ferreo corde, ſi tamen tantum habuerit fidei quantum eſt granum ſinapis, ſinapis quidem iuxta magnitudinem ponderis; non flagrantiam interni ſaporis, qui videns tot Reverendiſſimos Patres de ſummo, quaſi coeli, vertice contra Chriſti Vicarium adeo terribiliter intonare non commoveatur? non horreat? non gemiſcat? Chriſti quidem Vicarium diximus, quum ex quo per vos, ut ſcribitis, & alios Patres Cardinales fuit electus, aſſumtus, coronatus, & ornamentis pontificalibus redimitus, in conſpectu innumerabilis populi Chriſtiani; & aliquamdiu tamquam verus Summus Pontifex habitus per vos etiam, & tractatus, donec fuerit aliter legitime declaratum, Vicarium oportet credere, & Chriſti Vicarium convenit adpellare. Nec eſt noſtrum, Patres Reverendiſſimi, tantas inter vos diſcernere lites. Vos quidem Cardinales, quos ſic percepimus reputari, & illum Summum Pontificem, quem pro tali gerere ſe videmus, & a vobis ipſis audivimus honorari, non in alicuius humani adfectus paſſione, ſed in ſimplicitate cordis & puritate fidei convenit, niſi contrarium adpareat, confiteri. Non enim ſi contra dioeceſanum quempiam de Epiſcopatu iudicium inferatur, liceret ſubditis niſi primo diſcuſſo de iure,

re, & re dubia per ſententiam declarata, etiam quidquid fama dictaret & quicquid maior ſentiret auctoritas, ut non Epiſcopum reputare. Temerarium nimis eſſet in tanta re adſenſu privato ferre ſententiam, & id temere ſine cenſura dirimere, de quo videmus viros maximos dubitare. Sinamus itaque, donec aliud declaretur, & pace utriuſque partis dictum ſit utrinlibet, prout videmus, quemlibet poſſidere. Sed quia haec res maxima eſt, & totius Chriſtianitatis corpus reſpicit, atque tangit, non ſit vobis grave, Reverendiſſimi Patres, circa hanc materiam, aliquid, quod benigne recipere pieque intelligere cum reverentia ſupplicamus, audire. Scribit Reverendiſſima Veſtra dignatio, quod quum ad celebrandam electionem Summi Pontificis in conclavi veſtro, & aliorum RR. Patrum Cardinalium excellentia conveniſſet, quod magna Romani populi multitudo ad campanarum ſonitum congregata hoſtili more totum palatium circumdantes ab extra, & fere totum ab intus implentes, mortem vobis, niſi Romanum eligeretis vel Italicum, ſunt minati, ſubtracto vobis etiam congruo temporis ſpatio, in quo ſaltem de perſona poſſet reverentia veſtra cogitare. Et quod vos ad evitandum mortis periculum; aliter non factum; Dominum Barptolemaeum Archiepiſcopum Barenſem in Summum Pontificem elegiſtis, ſperantes eum fore talis conſcientiae, qua electionem huiuſmodi nullatenus acceptaret. Haec ſunt pene litterarum veſtrarum verba, hoc eſt totius veſtrae cauſſae, ni fallimur, fundamentum. Audite Patres Reverendiſſimi, & vobiſcum cogitate haec, quae

tam

tam tenaciter adfirmatis, aliter a plurimis accipi, imo a nonnullis in contrarium praedicari. Sunt qui dicant ante illum impetum populi Romani vos in praefatum Archiepiſcopum conſenſiſſe. Sunt qui conſtanter adfirment, quod & ſatis vero proximum eſt, Romanos Romanum non alias Italicum poſtulaſſe. Et ut in hoc paſſu aliquantulum immoremur, nonne credibile eſt Romanum voluiſſe Romanos, quam de Italico in genere, qui Romanis inviſus eſſe poterat, cogitaſſe? Huius etiam opinionis maximum eſt argumentum, quod poſt ſecretum conſenſum habitum de Archiepiſcopo ſupradicto ad Romanorum impetum evitandum R. P. Dominum Sancti Petri Pontificalibus exornaſtis. Quae ſimulatio profecto neceſſaria non fuiſſet, ſi ut ſcribitis, poſtulaſſent Italicum vel Romanum. Satis enim erat ad periculum evitandum electum veſtrum oſtendere, & ſic motum furentis populi tranquillare. Mox autem, Patres optimi, ſicut cuncti, qui tunc in urbe fuerant, referunt, & teſtantur pene omnes, vos dum Romanus populus credens Dominum Sancti Petri legitimum fore Paſtorem, in eiuſdem, ſicut Lateranenſis Epiſcopi veneratione verſatur, ne vos metuiſſe, ſicut adſeritis, omnino negemus, receſſiſtis ab urbe in oppida vicina, in quibus nullo terrebamini metu, nulliſque minis vobis Romanus populus inſultabat, nec, ſi voluiſſet, poterat inſultare. Demum autem publicata electione per vos facta, & praedicatione Domini Sancti Petri omni ſedato tumultu, ad urbem, celebrata ſolemnitate debita de eodem Pontifice, rediviſtis, qui poſtea eodem, ut ſcribitis

metu durante, a vobis ipſis quamvis hoc litterae vox pertranſeat, intronizatus fuit, & ſolemniter coronatus. Nec omiſſa ſunt a vobis ſub illo concilia, vos ad eius ſolemnia non ſemel, ſed pluries conveniſtis. Vidiſtis eum ordinare Epiſcopos, promovere Praelatos, conferre, beneficia & cetera, quae ſunt iuris Apoſtolici, miniſtrare, & vos more ſolito miniſtrantes eidem in omnibus adfuiſtis. Nec defuerunt ex vobis, qui ſuis litteris ad mundi Principes, & populos deſtinatis adſumtionem praefati Pontificis nuntiarent. Facta eſt per univerſum Chriſtianitatis orbem de novo Pontifice conſueta ſolemnitas. Nec hoc una die, ſed pluribus menſibus, cum omnium veſtrum taciturnitate durabit, vobis nedum Romae degentibus, in qua tantam formidinem adlegatis, ſed etiam poſtquam Anagniam, quam ut locum tutiſſimum elegiſtis, aeſtivandi gratia, pluribus ante ſcripta veſtra menſibus divertiſtis. Ut fortè quum diligenter conſideretur, ſi quis ſalutem fidelium ante oculos ſibi ponat, non minus reprehenſionis tanta patientia, ſive ſilentio mereantur, quam hoc quod veſtris litteris condemnatis. Neſcimus, Reverendiſſimi Patres, quid in conclavis penetralibus geſtum fuerit. Nec, quae fuerint inter vos de Pontificis electione colloquia, tantum tamen temporis ante tumultum omnem, de quo fundamentum factis habuiſtis, quod poſſibile vobis fuit in electione non unius, ſed centum Pontificum, conſenſiſſe. Ut admiratione non careat, quod unius pene momenti trepidationi velitis adſcribere, quod in biduo ſine metu potueratis multis horis praecedentibus cogi-

gitare. Quis credat tantos viros, imo totius Chriſtianitatis Cardinales, atque Patres fruſtra tantum temporis quantum vobis in conclavi liberum ab omni formidine fuit, in tanta praeſertim rei ſerie conſumſiſſe? Multo tempore vobis licuit ſine metu Caput Eccleſiae, & Chriſti Vicarium ordinare; uno autem pene momento in tanti populi fremitu; & ut ſcribitis; in mortis manifeſto timore Pontificem elegiſtis, & alium Dominum Sancti Petri populo furenti ornatum ut Pontificem praebuiſtis. Quis conſentiat tot vobis in momento conſilia ſuccurriſſe, ut unum ex vobis ad tollendum Romanorum impetum, & tumultum Pontificalibus ornaretis, & alium eligeretis hac ſpe, quod per conſcientiam electioni de ſe facta nullatenus conſentiret? Ubi de vita, & morte cogitandum erat, tot, & tam diverſa conſulere potuiſtis? Si verus timor fuit, electio certè fieri potuiſſe non debuit. Et quum alio ad metum remedio ſitis uſi oratione videlicet domini Sancti Petri; non eſt veroſimile, quod per metum ad electionem ex qua vobis periculi nullum remedium tantorum Patrum oculatiſſima circumſpectio proceſſiſſet, metum allegatis; cuius haec; quam damnatis electio nec ſecuritas erat nec probabilis medicina. Quomodo enim ob metum tam terribilem elegiſtis, quem vobis opitulaturum fore nullatenus videbatis? Id profectò per metum proceſſiſſe creditur, per quod metuens ab imminente periculo liberatur. Fruſtra quidem per formidinem extortum dicitur, quod ad ſecuritatem non pertinuiſſe probatur. In metu quidem non propter metum factum fuiſſe poſ-

ſumus dicere, quod trepidantem a motu non potuit liberare. At ſi ad formidinis remedium hoc factum eſt, & ſolummodo propter metum, cur non in illo fremitus popularis periculo hanc meticuloſam electionem, ut opprimeretur furor imminens, publicaſtis? Manifeſtum quidem eſt vobis etiam teſtibus, quod occultantes, & tacentes de electione praedicta remedium aliud paraviſtis ſine formidine Pontificem elegiſſe, quem non eſtis veriti poſtea ſine metu celebratis coronationis ſolemnibus confirmare. Et illud ob metum patet vos ſimpliciter providiſſe, quod placuit ad ſedandum tumultum populi publicare. Quae quum ita ſint, vos tamen in tam incerto & in tam fragili fundamento veſtrarum intentionum tantae rei aedificium conſtruentes iſtum, quem veſtris in manibus Pontificem plaſmaviſtis, intruſum, & apoſtaticum dicitis, atque antichriſtum, veſtris in litteris adpellatis; qui ſi intruſus eſt, quis vos non dicat improbos intruſores? Si apoſtata quis vos appellare non poſſit apoſtatationis huiuſmodi repertores? Si Antichriſtus, nonne vos eumdem contra Chriſtum veſtris ſuffragiis ſtatuiſtis? Ridiculum autem eſt impudenter deteſtando reprehendere, quod vos feciſſe non poſſitis in oculis hominum denegare. Voſmetipſi, Patres Reverendiſſimi, ut litterae veſtrae teſtantur, quod vobis credendum eſt, confitemini ad Apoſtolatus apicem hunc Barenſem Archiepiſcopum elegiſſe. Fundata eſt in ſede ſedentis intentio, in quo non negat veſtra reverentia conſenſiſſe. Sed metum huius rei cauſam pretenditis adlegando. Hoc oſtendere vos oportet. Quomodo autem de hoc metu

ne

ne dicamus verè, ſed etiam veriſimiliter, & pertinenter ad veſtram cauſam docere poſſitis, ſi ſupradicta velitis advertere, poteſtis ſatis facile iudicare. Circumſpicite diligenter, o oculatiſſimi Patres, & prudentes advertite an ad tantum, & tale inceptum, quantum eſt hoc, iſta metus aſſertio de iure ſufficiat, & ex ea opinioni cunctorum fidelium ſatisfiat. Et eo maxime, quia non videamini tantùm cauſae veſtrae confidere, quod hoc non paretis, cum veſtris Britonibus, marte iudice diſceptare. Quid facitis, Patres Reverendiſſimi? Videbit ne populus Chriſtianus tantam abominationem in veſtris manibus de re, quae apud mortales eſt tanti culminis, & reverentiae, & inter ſpiritualia ultra quam ſuperſpiritualis, de capite videlicet Eccleſiae, & apoſtolico Pontificatu, ſucceſſione Petri, & Vicariatu Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod non iudicialiter, ſed ferro iudice dirimatur? Teſtis ne, quales ſint in ore fidelium de rei huiuſmodi contentione rumores? Dicunt plurimi contra Chriſtum deteſtabile bellum, Apoſtolos indixiſſe, & de Pontificatus apice non in maturitate, & ſinceritate iudicii, ſed in belli turbine, & ferri violentia iudicari. Subdit alter, non eſt contentio, quod iam electus qui quoniam in omnium oculis Pontificatum exercuit, & exercet, Papa verus non ſedeat; ſed quia Italicus eſt, controverſia tota fervet. Si Gallicus quidem fuiſſet, nullus fingeretur metus, nulla prorſus adlegaretur impoſſeſſio; incoacta fuiſſent vota, & libera penitus in eligendo ſuffragia. Concordarent utique leges, divinaque, & humana iura faverent. Concordarent

te-

teſtes, & in huius nationis nomine cuncti Canones conſentirent. Cur o Patres optimi horretis Italicum? An eſſe debet in tanti culminis reformatione, & in electione Summi Pontificis acceptio perſonarum? An novum eſt Latini ſanguinis hominem Summum Pontificium tenuiſſe? Percurrite hiſtorias, revolvite annales, & Lateranenſium Epiſcoporum Catalogum, recenſentes longe plures ex Italia, quam ex veſtris Galliis inveniotis ad Apoſtolatus apicem perveniſſe; ut non debeat pudere quantumcumque generoſiſſimo ſanguine procreatos ſubeſſe vos alicui Latinorum, qui nedum Galliis, ſed orbi univerſo, ſiquid credendum hiſtoriis eſt, & ſi volueritis ſacris Evangeliorum conſentire litteris praefuerunt. Iam autem videre videmur vos in tanta turbationis vehementiam, & conſilii caliginem evaſuros, quod quaſi veſtrum ſit de electione Summi Pontificis iudicare, qui ſolum ſubeſt Concilio generali, hac electione damnata, ad alterius electionem Pontificis procedatis. Quod ſi fiat in grege dominico ſciſma perabominabile, & execrandum diſſidium inducetis. Quique ut dicitis hunc apoſtaticum, & intruſum pro ſalute veſtrorum corporum non una die, ſed pluribus menſibus ſaltem in oculis omnium, ut Pontificem habuiſtis, & de cuius aſſumptione ſinguli ad univerſos mundi Principes de more veſtro litteras deſtinaſtis cum fidelium animarum manifeſto periculo, incerti, quid vobis aut eligendo futurum ſit alterum intrudetis. Non eſt eligentium Papam de electione cognoſcere; aut numquid ſubſiſtat de iure celebrata iam electio, iudicare. At in eligen-

gendo terribilis ab armato, & furenti populo vobis fuit impreſſa formido, & quum eum, quem putabatis renunciaturum elegiſſetis vos acceptando decepit. O vana hominum conſilia, & cogitationes hominum inanes! Si ob metum fuerat electus renunciationi locus non erat, utpotè quia talis electio nulla de iure fuiſſet, & iuri quod non competit, non poteſt per renunciationem rationabiliter derogari. Si fuit autem, ut creditur, liber ille conſenſus nullo metu, nullaque formidine praebitus vel extorſus, unde ſperare potuit veſtra prudentia, quod talem, atque tantae ſanctitatis gradum, ad quem inſpiratione divina fuerat evectus, ubi Deo proximus in Vinea Domini poſſet opus optimum operari, ſuccidere vepres, evellere ſpinas, plantare ſurculos, & extendere propagines refutaret? Quem dabitis Gallicorum, qui unquam Apoſtolatui renunciaverit, vel quum dubia de ſe foret electio, aut quietioris & ad ſalutem aeternam certioris ſtatus amore, ſicut de noſtro Celeſtino legitur, Pontificalia reliquerit ornamenta? Scimus de plurimis quos, & vos, & cuncti fideles in Pontifices habuerunt quales fuerint, tum de metus impreſſione, tum etiam de fraude, & deceptione rumores. Quos etiam ſi vera fuiſſent; quae publice dicabantur ut utilius, & ſanctius fuit in paſtores recipere, quam cum diviſione Cleri, & ſciſmate populi Chriſtiani iudicando damnare. Quanto ſanctius fuiſſet, quantoque perfectius primum illum meticuloſum conſenſum, ſi metus tamen impreſſus fuit novo, & libero confirmare conſenſu, quam in hoc certamen, & diſſidium perveniſſe? Cleri-

ricalis quidem perfectionis eſt, bella tollere, lites extinguere, pacemque, & concordiam ſeminare. Vos autem in hac Pontificatus contentione, quantum bellum quantamque diſcordiam excitaveritis cogitate. Denique ſi cauſſae veſtrae confiditis, cur audientiam generalis Concilii devitatis? Concilialis procul dubio eſt iſta diſſenſio, non marte, non alio iudicio citra concilium dirimenda. Qua autem fronte ad arma recurritis, & oblatum Concilii iudicium evitatis? Quis non videt vos non verum Papam quaerere, ſed ſolum Pontificem natione Gallicum exoptare? Utinam a principio veſtrum Sanctum Collegium aliquem Gallicum elegiſſet; non foret iſta contentio, & tacente tota Italia in Sede Petri ſederet electus. Nec ſibi nobilis iſta Provincia, & quod pace reliquarum dictum ſit, ſi concordia frueretur adhuc cunctarum Provinciarum domina, & regina, quae meruit duobus magnis luminaribus inſigniri, nec ipſa Urbs Roma ad iniuriam reputaret, ſi in Romanum Pontificem fuiſſet Gallicus ſublimatus. Unde autem tanta inſolentia, qua apoſtolatus apicem, quem veſtri ſanguinis haereditarium, & nationi veſtrae uſurpetis debitum? Bene apud maiores, & ſanctiſſime receptum eſt, ut de cunctis mundi partibus, ſine differentia Iudaei vel Graeci, Romani vel barbari, Chriſti Vicarius ſumeretur. Digniſſimum quidem fuit ut ad vices ſubeundas Domini Noſtri Ieſu Criſti in cuius Sanguine ſicut promiſſum fuerat Abrahae, & ſemini eius omnes gentes benedictae ſunt, & in tali gradu adoptionis receptae per gratiam, quae poteſtatem habeant

filios

ſilios Dei fieri nulla foret acceptio perſonarum. Iudaei quidem dum ſic Deum Iſrael ſuum eſſe crederent, quod aliorum eumdem Deum eſſe negarent, Deum perdere meruerunt. Unus eſt omnium Deus unus, eſt Dei Vicarius, non de unius gentis ſemine, ſed de quacumque natione ſine differentia, prout Deus inſpiraverit, eligendus. Hinc in Eccleſia primitiva nunc Italus, nunc Romanus, nunc Graecus, nunc Syrus, nunc Afer, nunc Hiſpanus, ſine nationis diſcrimine legebatur. Nec moleſtum erat Romanis univerſo pene orbi tunc imperantibus de ſubditorum gremio ſumi, qui Romanis in Statu Eccleſiaſtico praeſideret.

Dum haec ſcriberemus, deteſtabilis fama, imo infamis infamia, deinde nuntius certior advolavit vos unum ex vobis Dominum videlicet Gebennenſem in Papam; imo in Antipapam, ut loquamur rectius; elegiſſe, in qua re, quam vehementer ſint proſtrata corda fidelium dicere non poſſemus. Quid eſt hoc? Neſcitis Eccleſiam eſſe ſolum unam? Cuius caput eſt Chriſtus unicus Dei Filius ſecundum Divinitatem genitus non factus, ſecundum carnem autem de Virgine procreatus; in cuius Vicarium, & in unius Eccleſiae Caput unum iam Pontificem elegiſtis? Cuius autem Vicarius erit iſte novus electus aut cuius Eccleſiae caput? Deo, qui unus eſt, diſplicent, quae ab unitate diſcedunt, unde creditur ſecunda diei operibus benedictionis eulogium ſubtraxiſſe, qui mox benedictionem die tertia repetivit. Non ergo ſecundus iſte Vicarius Chriſto gratus, qui exemplum praebens nobis, ut quemadmodum ipſe fecit, ita

ita & nos faceremus; ſoli Petro paſcendas oves ſuas committens quum ſuum Vicarium inſtituit, & reliquit. Eccleſiam autem, quae unum eſt Corpus, faciendo bicipitem, in moſtrum horrendum atque teterrimum convertiſtis. Cavete ne tam iniqua tentantes det vos Deus in reprobum ſenſum, ut dum ſpiritualia, quam terrena tractetis, audiatis ſonitum ſpiritus vehementis, qui ſuo turbine vos cum hoc monſtruoſiſſimo monſtro ſubruat, & confundat. Nec latet orbem, & cunctos Chriſti fideles, cur de iſto veſtro Gebennenſi electionem duxeritis faciendam. Scimus plane, & paſſim omnes cur hoc feceritis, agnoſcimus, & ſentimus. Dominos quidem & Principes quibus ille ſanguine coniunctus eſt conciliare vobis ut veſtrae tam honeſtae cauſſae faveant, voluiſtis, & illos optimos Chriſtianos, quos Eccleſiae pugiles, & fidei dicitis athletas gentium omnium inhumaniſſimos, & de illorum numero, qui dicunt in corde ſuo, non eſt Deus, Britones ſcilicet, quibus de Galliis in Italiam felicem Sanctum, atque pium praebuit ille ducatum, fideliter vobis adſtringere procuraſtis. Dignus vere exercitus tali duce, & miles digniſſimus, qui tam iuſtam cauſſam aſſerat, & defendat: cuiuſque manu, & opera Vicarius Ieſu Chriſti in apoſtolica Sede ſedeat, & verus Chriſtianitatis Antiſtites non per iuſtitiam, ſed per iniuriam confundat. Nec damnamus in hoc veſtrum conſilium. Haec enim certiſſima via fuit Britones vobis indiſſolubiliter obligandi. Forte etiam quum ipſorum vos conſtiparet exercitus, illi per metum, & violentiam extorſerunt, ut hunc Gebennenſem Apoſtolicum faceretis. Ut

qui

qui dum Cardinalis fuit, avaritiae, & crudelitati ipſorum Civitatem miſerrimam Caeſenatem in caedem concesserat, atque praedam, nunc Papa rerum omnium Dominus non unam urbem, ſed univerſum orbem, vaſtandum caedibus, polluendum adulteriis atque ſtupris, & diripiendum rapinis in ſua Clementia ſolita, praeter quam Clementis nomen, quod non eſt veritus uſurpare apoſtolico reſcripto, tribuat, & concedat. O Foelix Eccleſia, quae tali meruit preſule reſtaurari! O Foelix tota Chriſtianitas, quae poterit ex praeteritis Pontificis ſui geſtis Sanctiſſima percipere documenta! Aedificabit ne Vir ſanguinis, Vir quidem effuſor ſanguinis innocentis templum Domino? Negatum fuit David Regi; de quo dicebat Deus: Inveni hominem iuxta cor meum, quia iuſtum bellum pugnaverat, & humani ſanguinis quamvis iuſtiſſimus fuerat effuſor, templum domino fabricare. Et vos putatis his cruentis, & pollutis manibus, aut Sacrificium acceptum Deo fieri, aut ſtatum Eccleſiae reformari? Aberit Deus a Viro ſanguinum, & pro iuſtitia, proque ſuo Vicario, contra quem conſilia tenuiſtis, adverſus turbidos, & iniuſtos veſtros conatus aderit; tela veſtra confringet, & iniqua veſtra conſilia diſſipabit. Abſit autem mundi Principibus tantus furor, & tanta dementia, quod neceſſitudine ſanguinis ut ſperatis huic veſtro monſtrifico monſtro contra verum Chriſti Vicarium veſtra ſequentes furioſa conſilia faveant, vel aſſiſtant. Mementote; ſi non in totum oblivioni ſacras litteras tradidiſtis; Chriſtum Dominum noſtrum non unum ex mundi principibus,

bus, aut aliquem coniunctum ſanguine regibus pugnaturum pro fide in Eccleſiae petram, & ſuum Vicarium elegiſſe; ſed hominem ſimplicem, & abiectum, vixque bene notum in patria, utpotè viliſſimum piſcatorem. Vos autem temporali potentia aſſequi ſpiritualia cogitantes, exercitus ducem, & cognatione apud Reges, & Principes, quos ille tangit ſanguine magnum, ut invadatis Sedem Apoſtolicam elegiſtis. Quod quo Chriſti vel ſanctorum faciatis exemplo non poteritis in divinis litteris invenire. Nec vos decipiant aſſiſtentium blanditiae quorum eſt proprium, quicquid maiores fecerint collaudare, nec de dominis, qui favere videntur in hoc facinore praeſumatis. Quicquid enim vobis praeſtatur obſequii, credite nobis, non amor elicit, ſed tum potentia, tum praeſentia veſtra ab invitis extorquet. Vultis, ſicut decet clericos, quorum nedum eſt ſanguinem non effundere, ſed ne effundatur per alios cum diligentia, & totis viribus procurare, in hac Cauſa, quae non armis, non cavillationibus eſt tractanda, quod eſt iuſtiſſimum conſentire? Deponantur arma, nec Principum potentia, nec alia vi, compellantur huic vel illi fideles credere, ſed liceat cuique quem vult in Pontificem honorare, & ille in quem credet maiorum fidelium multitudo in Pontificem aſſumatur. Antichriſti quidem futurum eſſe creditur per manus principum, & alias violentias, ut ſibi credat tantum genus hominum operari. Iuxta Symmaci quidem veſtri ſententiam, ſi in Electione Summi Pontificis, ut fieri ſolet, ſtudia coeperint eſſe diverſa eorum, de quibus certamen emerſerit

ſerit, convincat ſententia plurimorum. Nec vos terrere debet, quod hoc fidelium ſuffragiis relinquatis. Alterum enim ipſorum ex Deo eſſe neceſſe ſit. Nec dubitandum, quod Deus, & Dominus noſter, qui adeo vult ſalutem fidelium animarum, quod filium ſuum promptum de ſtatu ſublimitatis divinae ad humilitatem hominis inclinavit, ut pro nobis crucifigeretur, moreretur, & deinde reſurgeret, ſuum gregem diriget ad credendum illi, quem ipſe in ſuae diſpoſitionis ſerie praelegit. Nec putetis vel factione cleri, vel favore Principum, vel armis Britonum, quem volueritis Pontificem confirmare. Solius enim Dei eſt, & ſuum Vicarium, & cunctos Principes ordinare. Cito evaneſcit, quod ab homine eſt; quod autem a Deo, quotidie roboratur. Sed quid rogamus, quid petimus, quod vos videmus obſtinatiſſime negaturos? Vos generale Concilium, vos etiam particulare, quorum utrumque vobis oblatum fuit, ut de hac tanta veſtra iuſtitia, quam praetenditis cognoſcatur, non permittitis adunari; qui ſi ſacrorum Canonum non eſtis obliti de viribus electionis Summi Pontificis cognoſcere non habetis. Nam ut Anacletus Papa inquit: Electionem Summorum Sacerdotum ſibi Dominus reſervavit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & fidelibus populis conceſſiſſet. Nec vobis hoc iudicium per inſolentiam, aut potentiam uſurpetis, nam quamvis ſitis tum dignitatum ſplendore, tum etiam ſtatus veſtri potentia ſuper cunctos reges, & principes venerandi, attamen; ut in decretis expreſſiſſime

continetur; Si Sedes Apoſtolica per violentiam occupetur, non invenitur iudex, officio cuius ille apoſtaticus excludatur. Redite igitur ad cor, & vobiſcum pacatis mentibus conſiderate; quid a veſtro diſſidentes capite perfeciſtis. Certè errorem facile reparabilem errore irreparabili voluiſtis obruere. Metus, ut dicitis, fuerat impreſſus. Hunc totum expiavit voluntaria conſecratio ad quam faciendam nullus vos compulit vel coegit. Aut ſi illam in pacatiſſima civitate, & plaudente populo, ut fingitis, per metum adhuc durantem forſitan celebraſtis, purgare potuit ſubſequens ſine trepidatione conſenſus, qui etiam in cuiuſcumque timoris impendentis aſpectu liber eſſe potuit, & ſincerus. Imo nedum purgare potuit, ſed purgavit. Aſſiſtentes quidem eidem collegialiter in Conſiſtorio, praebenteſque ſibi, ut feciſtis in conſecrationibus Epiſcoporum, & aliis, quae non poſſunt niſi per Pontifices explicari, & publice, & in communi conſenſum, quod ſine aliquo metu conſtat pluries vos feciſſe, omne metus, & primi veſtri conſenſus vitium abſtuliſtis. Cavete etiam, quod de iure poteſt ille metus, quod actum eſt legittime revocare, qui talis fuit, quod potuerit etiam in conſtantiſſimum incidiſſe. At illi clamores populi, ut eligeretis Italicum vel Romanum ne dicamus conſtantiſſimos homines, ſed ne etiam mulierculas totidem debuit adeo terruiſſe, quod naturaliter liberas in tanto praeſertim negotio veſtras cogeret voluntates. Si pudet timorem diffiteri, quem adeo publice praedicatis, confitemini ſaltem, quod & verum

eſt

eſt, vos non ut conſtantiſſimos viros, ſed ut molles foeminas timuiſſe. Quod ſi eadem pervicacia hoc etiam duxeritis forte negandum: Stabit contra vos rei ſeries; ſtabit veſtra conſcientia; ſtabunt veſtrae litterae, veſtrique proceſſus; ſtabunt coelum, & ſidera; ſtabit orbis; ſtabit denique Deus, qui ſcrutatur renes, & corda, quique nequit falli, cuive nihil poteſt humanis tergiverſationibus occultari. Utinam audiretis quales de vobis ſint in fidelium collaetione ſermones. Audiretis enim ſimplices & vulgares, prudentes & doctos uno ore, unoque conſenſu contra vos, omni depoſita reverentia, quam vos his veſtris monſtruoſis fluctuationibus ſubruiſtis, taliter perorare. O coeleſtis ianuae Cardines, ſuper quibus debet oſtium divinae Regiae circumvolvi, in quam dementiam incidiſtis? in quanta caligine conſilia veſtra verſantur? in quantam confuſionem gregem dominicum induxiſtis? Erat Eccleſia ſuo viduata Paſtore, quum vobiſcum pene tota Italia bello contenderet, ut numquam fuerit citius de Chriſti Vicario providendum. Vos tamen in tantae rei neceſſitate extra Conclave decennium conſumpſiſtis? Nec fuit ſatis in magnum Eccleſiae periculum tantum temporis effluxiſſe, ſed etiam in Conclavi, urgente neceſſitate maxima, vacabatis. Huius autem veſtrae incluſionis fructus eſt, quod Romano populo moram in tantae rei cardine minime tollerante, ipſum in tumultum, dum non publicaretur electio, concitaſtis. Et in Populi fremitu, electionem, quam poſtulabant, & quae per plures horas ante fuerat per vos canonice

nice celebrata, offerentes in Papam dominum Sancti Petri, quem ioculatores per malitiam occultaſtis, & per armati populi cuneos, quem dicitis in veſtram caedem ſitientemque veſtrum ſanguinem in palatium intraviſſe, & ſecretum illud penetraſſe Conclave, adeo iuſtus fuit timor, adeo verum, & propinquum periculum, illaeſi, & intacti tranſeuntes in veſtras habitationes libere declinaſtis, Romanumque populum, & infinitam fidelium multitudinem in ridiculo dimiſiſtis errore, dum certatim omnes dominum Sancti Petri, ceu Caput Eccleſiae, & verum Pontificem venerantur. Quumque in vicina oppida pene cuncti, ſimultantes formidinem, veniſſetis, ecce ſequenti die in urbem eodem durante metu, ut iterum deciperetis Populum, rediiſtis, & hunc quem deponere quaeritis, in Pontificem conſecrantes, ornamentis Papalibus induiſtis, ſibi tamquam Pontifici reverentiam exhibendo. Quis veſtras ferat ineptias? Quis vobis ſuggeſſit tot exquiſita mendacia? Aliter non facturi per metum elegimus, quem ad ſecuritatem captandam producere noluiſtis? Durante metu conſecravimus, qui ad locum tumultus, & metus a nullo compulſi voluntate libera rediviſtis? Verus Papa non eſt, & per oſtium non intravit, qui inter manus veſtras, obſervatis ſolemnibus, fuit ut Papa pluribus menſibus honoratus. Scribitis, eidem non fore parendum quem, nullo cogente, per orbem veſtris confratribus Cardinalibus, Imperatori, Regibus, & cunctis mundi Principibus, atque populis pene ſingulis canonice electum, & futurum

rum Sanctiſſimum nuntiaſtis. Debuiſtis ne in tantum errorem mundum inducere? & quod non verum veneraremur Pontificem perſuadere? Si verus Pontifex non erat, cur ab ipſo pro vobis, & veſtris familiaribus, & amicis ſupplicationes offerentes beneficia, & gratias impetraſtis? An etiam hoc vos facere, clamans, & armatus Populus compellebat? Cur & de vobis aliqui dignitatum ſuarum titulos iuxta conceſſionem praefati Pontificis mutaverunt? Et ſi Pontifex non eſt, poſtquam fuiſtis Anagniae, quem locum uti tutiſſimum elegiſtis, cur non ad primos titulos redierunt? Cur, ſi Papa non erat, ab eodem eligendi confeſſorem, qui vos pleniſſime abſolveret licentiam per eius litteras impetraſtis? Cur etiam hac gratia in foro poenitentiae pluries eſtis uſi? Repugnantia ſunt haec, & prorſus incompatibilia, & nedum miranda in tantis viris, ſed dolenda, nedum damnanda, ſed cunctis fidelibus abhorrenda. Denique ſi Papa non erat, ſi totus orbis, & omnis fidelium multitudo cum animarum periculo ſub hoc non vero Pontifice nutabatur, cur tanto tempore dormiviſtis? An tam ſero debuit Veſtrae Reverentiae caritas excitari? Somniculoſi nimium eſtis, qui tam diu cum tali morſu conſcientiae in continuatione ſoporis recumbere potuiſtis. Cavete autem, ne in huius dormitionis veſtrae negligentia ſomniaveritis quae nunc, quam experrecti, contra Chriſti Vicarium obiectatis. O tepens ſollicitudo ad ſalutem fidelium! O frigida conſcientia! O ſegnis caritas! O mortua fides, quae potuit in tanto pe-

riculo contineri! Malum fuit per metum electionem Summi Pontificis celebrare; peius confirmare iam factum; peſſimum autem exhibere reverentiam confirmato. Turpe fuit non verum Pontificem in Chriſti Vicarium fidelibus exhibere; annuntiare litteris turpius; turpiſſimum autem rei veritatem cum taciturnitate tanti temporis occultare. Periculoſum fuit in ſede intrudere qui per oſtium non intravit; tollerare tam diu periculoſius fuit intruſum; ſed omnium periculorum periculoſiſſimum eſt Pontifici Pontificem inculcare. Dum enim ſalutem animarum, & ſinceritatem conſcientiae quaeritis, fideles ſcrupuloſis cogitationibus implicatis, magnuſque nos metus invadit, ne cum terribili perſecutione fidelium fidei noſtrae integritas ecliſſetur. Haec, & alia, quae longum foret ſcribere, ſi daretur alloquendi facilitas audiretis. Revertimini itaque, & quamprimum ab errore tanti praeiudicii reſilite. Redite ad verum Patrem. Nolite tam diri differre, quod poſiti in cuſtodia porcorum dicatis, quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & nos hic fame perimus. Dicite cum reverſo filio: Pater peccavimus in coelum, & coram te, & iam non ſumus digni vocari filii tui. Et ille pius ac miſericors induet vos ſtolis, & in maximo totius Eccleſiae gaudio manducabitis vitulum ſaginatum. Hanc autem tantae iucunditatis, & letitiae diem Deus immemor peccatorum noſtrorum cito mundo infundat, ut depulſis tenebris verum paſtorem, quem nunc confundere nitimini cognoſcamus, eumque vos,

& to-

& tota univerſalis Eccleſia venerentur. Et haec peſtis diabolico ſpiritu concitata, quae, quaſi diruendi machina appoſita eſt ad Eccleſiae fundamentum, in fidei ferventioris aedificium convertatur. Illo praeſtante, cuius cauſa agitur, qui vivit, & regnat in ſaecula ſaeculorum. Amen. (1)

X.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET DOMINO DOMINO PETRO DE CORSINIS (2) PORTUENSI, ET S. RUFINAE EPISCOPO CARDINALI PRIORES, ET VEXILLIFER IUSTITIAE POPULI, ET COMMUNIS FLORENTIAE.

ALias ſcripſimus vobis, Reverentiam Veſtram honeſtiſſimis rationibus exhortando, quod ad obedientiam Sanctiſſimi in Christo Patris, & Domini Domini Urbani digna Dei provvidentia Papae VI. veſtra circum-

(1) Haec Epiſtola a *Lino Coluccio Salutato* anno MCCCLXXVIII. ſcripta eſt Cardinalibus, qui *Urbano VI.* in Pontificem maximum electo, ſeceſſionem ab aliis deinde fecerant, ſeque Anagniam, ac poſtea Fundos contulerant, & alterum Pontificem *Clementem VII.* creaverunt; unde magni illius & memorabilis ſchiſmatis exordium.

(2) *Petrus Corſinius*, Florentinus, Cardinalis de Florentia nuncupatus, qui Sacri Collegii Decanus erat, & ab *Urbano VI.* cum aliis Italis Cardinalibus defecerat.

cumſpectio redire ſine morae diſpendio dignaretur. Videntes autem vos in huius diſceſſionis propoſito inexorabili obduratum, & ſentientes hoc ferri moleſtiſſime, ſicut decet, per praefati noſtri Domini Sanctitatem, ut futuris ſcandalis occurramus, iterum decrevimus vos ad idem tenore praeſentium exhortari. Nec latet nos, quam difficile ſit conſilium tanti temporis immutare. Sed quia tentata ſaepius aliquando veniunt ad effectum, & haec materia ſtatum tangit univerſalis Eccleſiae, ac totum Corpus fidei Chriſtianae; experiemur iterum, ut vos: quod cum rubore dicimus: ad viam veritatis, & iuſtitiae reducamus. Nam ſi impetraverimus quod optamus, firmabuntur mentes fidelium ſiquae poſſunt in tanto Principum, & populorum conſenſu de iuſtitia praefati noſtri Domini dubitare. Auferetur a vobis omnis infamiae macula, quam, ultra quam forſitan arbitremini, contraxiſtis, & in melioris ſplendorem gloriae convertetur. Et ut aliquando quod intendimus attingamus. Poſt creationem praefati Summi Pontificis canonice, ſicut tenemus, veſtrarum litterarum teſtimonio celebratam, poſt coronationis ſolemnia, poſt conſecrationem in plaudenti populo factam, poſt infinitos actus, & publicos, & privatos, in quibus vos, & alii ſibi collegialiter aſtitiſtis, quae nequeunt niſi per Summos Pontifices explicari, poſt conſecratos Epiſcopos, collata beneficia, & mutatos juxta eius ordinationem, etiam ab ipſis Cardinalibus, titulos dignitatum, maxima cum inſtantia procuratos, poſt impetratam a vobis, & ab aliis eligendi confeſſores ſolitam facultatem, poſt nuntia-

tia-

tiatum ab omnibus vobis aſſumptionem Urbani fere Principibus, & Populis univerſis: quid reliquiſtis, vos cuncti Cardinales, de Sui Pontificatus viribus dubitandum? Et ut vobiſcum, ſicut decet, cum Patre filios conferamus; & ne vobis, quia ſic congruit maieſtati Patriae cum ſuis agere civibus, blandiamur, unde, vel ex quo capite aſſumptionem iſtam Summi Pontificis tam validam, & tam certam poteſtis irritam cavillari? Sed inquiunt, qui vineam Domini ſibi cogitant per ambitionem ac veluti haereditariam uſurpare; metu Romanorum, qui in infinita multitudine clamantes, & armati Conclave, in quo eligendi Summi Pontificis gratia conveneramus cum impetu furoris terribilis penetrarunt, & ut praeſens mortis periculum vitaremus, alias non facturi, electionem celebravimus antedictam, quae quum fuerit per impreſſionem metus extorta, proculdubio iuribus non ſubſiſtit. Hoc eſt ni fallimur totius huius Cauſſae fundamentum. Sed reſpondeant obſecramus. Quum omnis ille furor Populi ceſſaviſſet, & plurimi ex eis inexpugnabilem arcem Caſtri Sancti Angeli, & ut antiquiori utamur vocabulo Caſtri Creſcentii, ſeu Molis Adriani, mirabile praeſidium intraviſſent, nonnulli extra urbem in oppida circumſtantia declinaſſent, quum omnes potuerint, ſi opes ſuas amittere non curaſſent per fugae remedium ſine periculo ſaluti ſuorum corporum providere; cur ad coronationem, & conſecrationis ſolemnia voluntarie convenerunt? Si metus electioni iam factae, ut veriſimiliter credimus cauſſam non dedit, valida eſt ſine dubitatione Paſtoris aſſumptio. Si vos me-

metus affeci, ſequens ſine timore conſenſus omne praecedentis metus vitium expiavit. Sed ut illos in ſuis affectatis erroribus dimittamus, & ad vos, Pater Reverendiſſime revertamur; Nonne furorem illum popularem adſpexiſtis? Et quum fueritis omnium, quae in Conclavi, geſta ſunt, & autor, & teſtis; nonne potuiſtis an valeret haec electio iudicare? Quid illud celeberrimum ſtudium decretorum, in quo cum laude maxime floruiſtis? Quidve ille, quem veſtra virtus benemeruit doctoratus, vobis Pater Sapientiſſime profuerunt? Supina nimis eſt ignorantia, ſi quam forte, in dirimendo hoc, quodcumque dubium, allegatis. Quod ſi electio praedicta non valuit, aut erat de huius aſſumptionis viribus dubitandum, cur eam nobis ad gaudium per veſtras litteras nuntiaſtis? Cur illam celebratam fuiſſe ſolemniter adſtruxiſtis? An parvus eſt error in ſummum agnoſcere Pontificem, qui per oſtium non intravit? An in his, quae apud mortales geruntur poteſt aliquid periculoſius inveniri quam eum, qui quum legittime non ſit electus, ut Chriſti Vicarium adorare? In tanto igitur animarum periculo reſpondete interroganti Patriae. Nonne debuit veſtra Caritas de ſalute ſpirituali tanti populi cogitare? Audite Patriam moeſtam, & ſtupentem, Patriam ſiquidem, quae vos genuit, quae vos aluit, quae vos & Progenitores veſtros ampliſſimis honoribus exornavit. Heic nativitatis Veſtrae crepundia: heic baptiſmalis veſtrae regenerationis in Chriſto Principia: heic virorum oſſa Parentum: heic totius veſtrae cognationis cineres reconduntur: heic tumulus Clariſſimi Patrui

trui Veſtri. Audite Patriam quaeſumus. Nonne per manus Reverentiae Veſtrae pacem concluſimus de moleſtiſſimo bello, quod non cum Eccleſia geſſimus, ſed cum quibuſdam officialibus Eccleſiae pro noſtrae libertatis defenſione compulſi ſumus adſumere? In hac autem pace fateamur maxima temporalium utilitas vertebatur. Sed quod graviſſimum eſt in hac ipſa pace pro qua veſtra Paternitas plurimum laboravit de ſalute noſtrarum animarum principaliter agebatur. Omittamus igitur rerum temporalium, & fluxarum quamcumque iacturam. An debuiſtis tot compatriotarum veſtrorum ſalutem, quae directe reſpicit animas, obliviſci? Si Urbanus Papa non eſt, quem tamen ut Papam nobis praepoſuiſtis, ſicut dictum eſt per veſtras litteras venerandum, in quantam miſeriam veſtrum Populum induxiſtis? Nos enim eius benigna diſpenſatione redditi ſumus Eccleſiaſticis Sacramentis; nobis reſtitutae dignitates, & cunctorum honorum redditus nobis ſplendor per reſcripta ſuae Sanctitatis affulſit. Soluta ſunt Clementia ſua proceſſorum vincula, quibus per univerſum Orbem nos apoſtolica ſententia terribiliter inligabat. Si Papa non eſt, adhuc efficaciter apud mundum ligati ſumus in terris, & in coelis miſerabiliter apud Deum. Et quod nobis per manus veſtras accedit, aggravatum eſt peccatum noſtrum, inde remiſſionis beneficium implorando, unde etiam ſponte conceſſum, ſi verum eſſet ſatis eſt, quod contra dicitur non debuit acceptari. Haec hactenus dictum eſt ſapienti. Nunc ad veſtra conſilia veniamus. In cauſſa ſane Romanae Eccleſiae, in cauſſa Ita-

liae,

liae, in cauſſa quidem, quam Patriae veſtrae ſpecialiter eſſe feciſtis, & ut verius loquamur in cauſſa, quae Dei eſt cauſſa, ſiquidem perſpicue clara, & ſine dubitatione certiſſima: deſipientibus, & in ſenſum reprobum datis Gallicis Cardinalibus, qui demum quaſi de Altiſſimo experrecti, videntes Apoſtolatus apicem ad manus Italiae reduxiſſe ſe; ad ſciſma perniciosiſſimum converterunt vos, & caeteri Italici Cardinales mediatorum officium aſſumpſiſtis. Dumque eſſetis in Civitate Fundorum, ſicut illi gloriantur, videmini pro celebranda electione alterius Pontificis conveniſſe. Quod ſi verum eſt illud ut ad iuſtificandam ſuam cauſſam profitentur; qua fronte vos in teſtes producendos in quocumque adunando Concilio reſervatis? Si verum non eſt; ut aequius remur de veſtra prudentia cogitare; cur in offenſione omnipotentis Dei in manifeſtum periculum animarum, in diviſionem fidelium, in oppreſſionem veritatis, in confuſionem Italiae, & in Patriae, quam adeo graviter laeditis, detrimentum, a vero Chriſti Vicario receſſiſtis? Non videtis taliter vos medium elegiſſe, quod illi qui iuſtitiam fovet non mediocriter detrahatis? An forte neutrum judicatis in ſecreto veſtrae conſcientiae ius fovere? Cogitatiſque in veſtro teſtimonio illum, qui verus eſt Pontifex, una cum eo qui Sedem Apoſtolicam occupavit pariter deponendos? Erratis, Pater Reverendiſſime, & dum veritatis, quae vos non latet, eſtis oblitus, quantum operetur Deus pro veritate & iuſtitia Sui Vicarii non videtis. Pauci Principes non animarum ſaluti, ſed ſuis utilitatibus conſulentes, nonnul-

li

li etiam in conſultationum iniquitate, & informationum impuritate decepti Clementem in Pontificem receperunt. Populi vero quos regunt, nec autoritate praedicantium, nec formidine dominorum induci poſſunt, ut deficiant ab Urbano. An non eſt hoc adeo factum, & admirabile in oculis veſtris? Cardinales paene omnes ſecuti ſunt Clementem: vos autem ſic ab utroque diſceditis, quod Urbani imo veritatis, & iuſtitiae cauſſam, quantum in vobis eſt, dubitabilem faciatis: & tamen adorant eum Principes, reverentur Populi, & univerſus Orbis ipſum verum Pontificem atteſtatur. Quid autem in re clara congregari Concilium expectatis? Si enim hoc attenditis ſi putatis huius rei cauſſa concilium adunari, vanum eſt conſilium veſtrum. Non enim ad dirimendam rem clariſſimam, ſed dubiam eſt vocandum (1). Et quoniam non poteſt verus Chriſti Vicarius ſine labe conſcientiae vos, qui ex hac receſſione non parvum ſcandalum in Dei Eccleſia ſeminatis ulterius tolerare, quoniam ſit contra vos & ſocium, tan-

(1) Quando duo vel plures de Papatu decertant tunc penes Cardinales auctoritas eſt Concilium Generale congregandi ad dirimendas controverſias & lites, & ad unum Caput Eccleſiae eligendum; ideoque non perperam etiam ſuperiori Epiſtola *Linus* dixerat: *Quod quaſi veſtrum ſit de electione Summi Pontificis iudicare; qui ſolum ſubeſt Concilio Generali*; quod quidem intelligendum eſt Concilio Generali eum ſubiicere, quando plures de Pontificatu certantes, Congregatio Fidelium haeret incerta quem debeat, ut verum, & genuinum Pontificem venerari.

tamquam contra ſciſmaticos proceſſurus Reverendiſſimam Paternitatem, & Reverentiam Veſtram ſupplicantes humiliter exhortamur, quod, & vos, & Patriam Veſtram, quae ſicut in dignitatis veſtrae ſplendoribus honoratur, ſic in veſtra diſpoſitione deteſtabili macularetur infamia, tantae abominationi, mutato Conſilio, ſubtrahentes, dignemini ad praefatum Dominum Noſtrum Urbanum ſine cunctatione redire, qui; ſicut ſua clementia vobis ſcripſit; vos cum benignitate recipiet, gratioſe videbit, tractabit in omnibus tamquam fratrem. Nobis autem, ſicut uſque ad turbationem diſplicet veſtra diſceſſio, ſic rem gratiorem facere, magiſque acceptam noſtris ſenſibus non poſſetis, quam reverti celeriter ad Urbanum. Quod ſi umquam Patriae preces intenditis exaudire, ſi pro totius noſtri Populi beneplacitis operari, ſi caritatem, quam debetis patriae veſtrae mentis eſt aliquando per effectum operis demonſtrare; nolite deliberando differre, ſed confeſtim reddere placeat gloriam Creatori Noſtro, cuius res agitur; veritati, atque iuſtitiae Eccleſiae Romanae, toti Italiae, & veſtrae patriae tam efficaciter ſupplicanti. Vaniſſimum quidem eſt cum animae periculo, & infamiae macula craſtinando diſtrahere, quod cum ſalute, ſine mora, poſſitis dignam quaerendo gloriam expedire.

SI-

XI.

SINISCALCO (1) REGNI SICILIAE.

MAgnifice Domine Concivis noſter dilecte. Non credimus vos latere Eſculanum bellum, ſicut eiuſdem civitatis noſtris auſpiciis libertas incoepit, ſic noſtris viribus & auxiliis noſtris geri, & denique noſtri Comunis fore totaliter, & inter noſtra incoepta principalius numerari. Ex quo vos per fidem quam debetis patriae, &, per affectionem, quam habere debent omnes Italici, eo maxime qui maiori in ſtatu, & in celebriori dignitate verſantur, ad liberationem Italiae vos requirimus & hortamur; ſi umquam bene de patria intenditis promereri, quod noſtris Oratoribus & gentibus quos Eſculi continue retinemus vos propitium & favorabilem praebeatis, & ſimiliter faciatis ſe veſtros ſubditos exhiberi. Illi hoſti publico Italici nominis Domino Cornetio favorem, receptum in veſtris terris, & omnibus ſuis gentibus denegando, ut ipſe cognoſcat omnes Florentinos patriae deliberationi congruere, & per id cogatur pertinaci propoſito reſili-

(1) Erat enim ex Florentina *Accaiuolorum* gente, quae plurimum in Regno Siciliae opibus, honoribus, & dignitatibus polluit, & tempore Reginae Ioannae totius Regni moderator erat & arbiter, & Siniſcalchi titulo, ſicut & plures alii ex hac Familia, erat decoratus.

ſilire. Et mementote quod quotidie dum talia imminent, & dum fortunae vorticibus res mortalium implicantur, cognoſcunt & notant Populi voluntates civium, & probatur amor & ſinceritas amicorum. Dat. Flor. die XX. Novembris XV. Ind. MCCCLXXVI. (1)

XII.

DUCI IANUENSI. (2)

MAgnifice & Excelſe Domine Frater cariſſime. Vidimus copiam cuiuſdam Litterae ad Excellentiam Veſtram per R. P. Dominum Cardinalem Ambroſium nuperrime deſtinatae, de cuius tenore non modi-

(1) Haec Epiſtola ſcripta eſt a *Colucio Salutati* nomine Reipublicae Florentinae, quum illa contra Pontificem *Gregorium XI.* arma ſumpſit, & fere omnibus civitatibus, quae Pontificis ditioni erant ſubiectae opem tulit, ut ab eo deficerent, ut revera accidit; & quae cum Florentinis aliiſque ſociis foedus percuſſere, appellatae ſunt, ut Pontifici magis magiſque furorem concitarent, *Civitates Ligae Sacrae*.

(2) Haec Epiſtola Duci Ianuenſi a *Colucio* nomine Reipublicae ſcripta eſt, eo quod Florentini imputabantur a ſociis, quod in Curia Romana oratores miſerint ad pacem ſine conſenſu ceterorum firmandam. Demonſtrat eidem, quod ſicut ſine macula fidei non ſervatae fieri hoc non poterat, ſic ſine conſenſu ſociorum impoſſibile eſſe a Florentinis pacem pertractari, utpote qui ſociis ſervare fidem ſemper conſueverint.

dicum admiramur, ex eo quod videatur innuere nos minus obtuliſſe Serenitati Veſtrae circa pacis tractatum, quod quidem in curia Romana fecerimus per oratores; miramur & merito, quum circa hoc ſcimus oratores praefatos nihil penitus obtuliſſe, niſi bonam diſpoſitionem noſtram ad pacem, & quod ad hanc parati eramus Colligatos noſtros pro viribus inclinare. Scimus vos a nobis alias habuiſſe copiam capitulorum eorum, quae per Eccleſiam petebantur, ad quae non fuit etiam minimum verbum per legatos noſtros, aut per litteras redditum, utpote quae talia forent, quod reſponſionem recipere nullatenus mereantur. Et quoniam certiſſimum nobis erat per manus veſtrae Serenitatis hanc pacem recipere, ex eo, quod eam futuram bonam & honorabilem ſperabamus, vobis plus obtulimus; imo ipſam declarationem plane inter notam, quam aliorum fecerimus, poſtquam huius pacis mentio facta fuit. Nec poſſemus circa illius concluſionem ſine Colligatorum offenſione & macula fidei non ſervatae aliquid largius conſentire; & forte etiam adeo voluntatem noſtram declaraſſe, niſi quod vobiſcum loquebamur, conſilium non fuiſſet. Quo circa, Frater cariſſime, non putet Excellentia veſtra nos vobis, in cuius arbitrio omne quantumcumque arduum negotium confidentiſſime poneremus, minus obtuliſſe quam illis, cum quibus cautiſſime procedendum fore cognoſcimus, utpote qui ea, quae appetunt, etſi plerumque inconſiderantius emictantur, tenaciſſime complectuntur; Nos paratos obſerentes quos vobis placuerit in hoc pro ſalute totius Italiae laborare

potius per manus veſtras ad pacem & concordiam pervenire, quam per alterius, qui poſſit excogitari, interceſſionem, medium, & hortamentum. Datum Florentiae die XXVII. Novembris MCCCLXXVI.

XIII.

DOMINO LEONARDO DE MONTALTO.

NObilis amice Cariſſime. Reſpondendo litteris, quas a vobis recepimus, Magnifico Fratri noſtro Domino Duci Ianueſi ſcribimus in hac forma. Magnifice &c. Et ideo; ſi videtur vobis; dictas litteras, quas vobis mittimus cum praeſentibus poteritis facere praeſentari; Et circa ea poſtquam noſtram intentionem ſecundum caritatem ſolitam operari, de quo nobilitatem veſtram totis affectionibus deprecamur. Datum &c. (1)

PE-

(1) Haec Epiſtola cum ſuperiori, ſcripta Ianuenſium Duci, convenire videtur, & eodem tempore, eademque die forſitan firmata eſt.

XIV.

PERUSINIS.

MIramur Fratres cariſſimi, miramur & merito, quod conqueramini vos Caſſandrae furentis adventu, quae per concubitum, Phoebum, prout habent fabulae, noluerit admittere, fato datum fuit, ut vera praedicenti nullatenus crederetur, nobiſcum loqui contingat de periculis imminentibus & conditione totius patriae circumſtantis. An non exauditi eſtis a nobis qui toties ad veſtras partes gentes miſimus in numero copioſas; quod veſtro conſilio; tum in Patrimonium ad Praefectum, tum etiam qui Exſculis praeſunt? Sed vos modo Caſſandrae more, cui, quod Phoebo, hoc eſt ſapientiae, noluit copulari, ruitura patria non credebat, in hac re verſamini; ſed ut vobiſcum vera domeſtice referamus videmini puſillanimitate maxima circumventi. Quo fugit ille ingenuus vigor, quo melioribus annis veſtra civitas ingenti gloria arma circumferens nedum domi, ſed etiam foris ampliatis finibus imperabat? Quibus ſe abdidit in latebris illa ſemper peradmirabilis virtus, qua hoſtem, tyrannum potentiſſimum tot armorum gentibus ſtipatum in tantaque manu procerum circumfultum ex arce inexpugnabili depuliſtis? Pudet fratres cariſſimi, quum iſta memoriter reputamus vos videre tam attonitos & paventes. Ecce Fabrianum Britones appulerunt. Fuerunt &

in territorio Fratrum noſtrorum Bononienſium, & in partibus Romandiolae. Si quaeratis eventum, certe hoc exitu, quod ſi totidem cicadae fuiſſent, plus nocuiſſent; ſaltem enim diurnos ſomnos ſuorum hoſtium perturbaſſent. Sed irritis demum omnibus ipſorum conatibus, quod fit in partibus Italiae, pene famam & praeconium perdiderunt. Sed quid plura moramur? Scimus iam magnificum militem & capitaneum noſtrum bellicoſiſſimum Dominum Rodulphum (1) noſtris in finibus applicaſſe cum ea gentium comitiva qua potuit, poſt quem ei maiorem numerum deſtinamus ut Eſculanis adſiſtat, (2) Franciſco de Mathelica ſuccurrat, & quod prius dici debuit veſtris poſſit neceſſitatibus ſubvenire. Quibus etiam Dominum (3) Conradum Ver-

(1) *Rodulphus Varanus*, vel a *Varano*, qui creatus fuit totius Florentini exercitus Imperator die XIII. Iulii, & inſignia Reipublicae ſumpſit a Vexillifero Iuſtitiae *Iacobo Strada*. Defecit a Florentinis, eo quod Iohannem Acutum Anglum, qui a Pontifice ſeceſſerat, non ſolum ad ſua ſtipendia ſumpſerint, ſed Florentinarum copiarum Ducem creaverint.

(2) *Franciſcus de Mathelica*, qui erat plurimorum oppidorum dominus, in *Marchia* cum Florentinis contra Pontificem bellum gerebat.

(3) Ex Germania cum Fratre deſcenderat, & ſub ſtipendiis Reipublicae Florentinae militaverat; & ante *Rodulphum* a *Varano* erat Florentini exercitus imperator.

Vettingher, & Dominum (1) Luzium ſuum Germanum ad Praefecti (2) ſubſidia deſtinamus, & cum omni noſtra potentia intendimus in illis partibus militare. Vos itaque fratres cariſſimi confortamini, & vires reſumite, & nolite, quum videatis veſtra pro nobis proſpere ſumpſiſſe, vano metu ſine marte & ſanguine conſternari; doceteque liberationis veſtrae praeclariſſimum facinus, non inconſultum impetum exſtitiſſe; ſed mentis & verae virtutis fortitudinem & vigorem. Nec ſiquid ingruere videatur cedite malis, ſed contra audentius ite. Nolite in deteſtando quo videmini labare pavore, vobis & ſociis ominari: declinant omnia, corruunt, prolabuntur irremediabiliter, & ſpes nulla ſubſidii. Hoc durum & horrendum praeſagium longe a Ligae finibus abſit, & in hoſtium capita convertatur. Nos autem longe decentius auguramur. Ecce omnia creſcunt, firmantur, validantur, & haerent; ita ut iam prope ſit, quod nulla oporteat auxilia poſtulare. Ceterum Domi-

(1) Comes *Luzius* Florentinorum Dux, cum *Rodulpho a Varano*, qui a Florentinis defecerat bellum gerens, eius exercitum fudit, ipſumque *Rodulphum* fugavit, & ob tantae victoriae memoriam fratrem ſuum, & *Franciſcum de Mathelica*, & quemdam nobilem Germanum, equites creavit.

(2) *Praefectus de Vico* qui *Viterbienſium* urbem in rebellionem ſuſcitaverat eiuſque dominium ſuſceperat

minum Iohannem de Coppolis (1) quem tam ardenter pro liberatione patriae ſcribitis laboraſſe, & ſuis meritis, & veſtrarum recommendationum intuitu in cunctis habebimus recommiſſum; ſed eum verſa vice vobis in recuperatione ſui Caſtri, quam vobis ſcimus eſſe facillimam, & quam ſibi ex Ligae foedere debetis, totis affectibus commendamus. Datum Florentiae die III. Decembris XV. Indict. MCCCLXXVI.

DO-

(1) *Iohannes de Coppolis* quum haec agerentur Florentiae erat, & *Capitanei Populi* munere fungebatur. Haec Gens una eſt ex primariis Familiis Peruſinis, quorum poſtea nonnulli apud Sereniſſimos Etruriae Principes primis honoribus inſigniti variis muneribus Florentiae functi ſunt, ibique domicilium ſuum poſuere. Vivit adhuc, & *Florentiae* degit clariſſimus ac nobiliſſimus *Cammillus Coppoli* Senator & Marchio Vir morum ſuavitate, ac benignitate, & clementia ſpectatiſſimus, & Florentinis in primis carus.

XV.

DOMINO (1) REINALDUCCIO.

MAgnifice Miles, Amice cariſſime. Quoties mente reperimus quales & quantos Italici ſanguinis viros, quos barbarorum infidelitas ſub colore ſtatus Eccleſiae ex patria in exilium compellebat, fuerint modo in natale ſolum & ſtatum priſtinum revocandi, inter quos vos mente principaliter ducimus & habemus, quantumque periculi ſubivimus, quot prius pecunias expendendo profudimus, quantaque nobis damna publica vel privata ingruerint, ea omnia optime credimus collocaſſe. Nam Reipublicae noſtrae multum videmur comparaſſe praeſidii, quia & novas amicitias, ſemperque duraturas paravimus, & veteres iam ſopitas in priſtinum vigorem fecimus reaccendi. Sed nihil actum eſt, Amice cariſſime, tanto ſanguine, tot pro laboribus, & expenſis, niſi tam glorioſe, tamque feliciter inchoata totius Ligae robore, & omnium amicorum auxiliis compleantur. Ex quo, vir egregie, cu-

(1) *Reinalduccius* erat in Dominio Eccleſiaſtico Vir pollens authoritate & viribus. Florentini contra Pontificem incitati, plurimas Eccleſiae civitates ab eius dominio rebellare, colore libertatis vindicandae, conati ſunt. Inter quas *Eſculum*, *Peruſiae*, *Viterbium*, *Firmum*, *Faliſci*, *Tuder*, *Augubium*, *Spoletum*, *Forum Livium*, *Bononia*, *Ceſenates*, & alii Populi numerantur.

cuius ſtatum ſicut & ceterorum; qui in eadem cauſſa verſantur diligimus, & optamus, & pro quo parati ſumus in cunctis emergentibus vires noſtras exponere, vos requirimus & rogamus, quatenus pro ſtatu veſtro, & totius Ligae exaltatione, quam vos ſincere diligere novimus & tenemus, placeat ad Eſculanum bellum, quod ſi proſpero terminetur eventu totam Provinciam Marchiae confirmatam credimus, & pacatam, oculos veſtrae mentis opportuna circumſpectione dirigere, & quod illi Civitati per Comune Firmi, ſolita, in hoc ſaltem articulo, miniſtrentur auxilia procurare, ut hoſtium inſolentia deprimatur, & tanta civitas de ferventis belli faucibus erepta, veſtris favoribus expedita, ſacrae Ligae incipiat eſſe comodo, quae tamdiu fuit nobis & vobis tanto periculo & labori. Et quod Comune noſtrum erit veſtrae nobilitati ultra cetera vincula propenſius obligatum. Datum Florentiae die VII. menſis Decembris XV. Indict. MCCCLXXVI.

FIR-

XVI.

FIRMANIS. (1)

FRatres & Amici cariſſimi. Veſtrum opus fuit liberatio, ſi recte meminimus, Eſculana. Nobiſcum initus fuit tractatus: Vos primi fuiſtis illius attoniti populi, & iam per ignaviam deſperantis veſtris cum ſubſidiis firmationes; veſtra fuit obſeſſio Cittadellae, in quo bello, quum praeter opinatum longius traheretur, quantam militum tam equitum quam peditum manum in eadem expeditione inceſſanter impendimus & nunc etiam realiter retinemus. Nullos alios in teſtes volumus, quam vos ipſos: nec tacere volumus vos in hoc fortia & copioſa ſubſidia indefeſſis ſemper animis tenuiſſe. Sed nunc tempus eſt, Fratres cariſſimi, ut fructum tot laborum, & ſumptuum recipiamus. Si enim quod reſtat promptis animis aſſumatur, iam videbitis vindicatos Eſculanos tanto maiori veſtra gloria quanto principaliores fuiſtis totius huius negotii promotores: tantoque maiori comodo quanto vobis erit ex propinquitate populus ille tam prompto ſubſidio & fa-

(1) *Firmani Eſculanam* urbem a *Britonum* oppugnatione liberarunt. Erant *Britones* magni nominis tunc temporis milites, *Ioannes Malaſtreta*, & *Silveſter Buda* erant Britonum ductores. Quatuor millia peditum & ſex millia equitum ſub his duobus ducibus militabant.

ſavori pleniſſime liberatus. Et ob id caritatem veſtram requirimus & rogamus, quatenus pro ſalute Patriae, pro honore Sacrae Ligae, cuius vos unum de potioribus capitibus reputamus, dignamini Eſculano Populo, cuius ſalutem ſcimus a veſtris auxiliis dependere, fortia veſtra ſubſidia miniſtrare; ut & Eſculanos, & vos ipſos, ac Comune noſtrum vobis cumulatis ſervitiis obligetis. Datum Florentiae die VII. Decembris XV. Indict. MCCCLXXVI.

XVII.

BANDERENSIBUS. (1)

CLariſſimi viri, Fratres honorandi. Quamquam hactenus incaſſum verba fuderimus vos ad libertatem veſtram & totius Italiae firmis animis exhortando, nec aliquem fructum viderimus, niſi literas expolito ſermone & ſententiarum pondere decoratas, adhuc tamen in hoc libertatis veſtrae praecipitio, quod inſtare videmus, ſincera & ſalubria cumulare consilia non iraſcamur. Nam aliquando perficitur, quod intentione fruſtrata ſaepius procuratur. Videmus enim fratres optimi, & vos iidem, ſi diſſimulare non vultis, manifeſte percipitis, Summum Pontificem, quem tam affectuoſis animis expectaſtis non incolatum urbis dilige-

(1) Banderenſes erant illi qui Romanis magiſtratibus pro Pontifice praeerant, quos Florentini hortantur ut a Pontifice deficiant.

gere ut in ſede propria ſedeat & veſtrum devotum populum conſoletur; ſed ut veſtram ſub ſervitute redigat libertatem. Quid enim aliud exoptat, quid expetit, ſublationem veſtrae dignitatis & Officii poſtulando, niſi libertatis Romanae columen exſtirpare? Quid enim froenum audacibus, quid impotentibus refugium relinquatur, ſi veſtra Sacra ſocietas, a qua Romanorum pax fortitudo & tranquillitas dependebat ex hoc adventu curiae diſſolvatur? Si deberet antiquo decori & formoſitati reſtituere urbem, ſi Romanos in maieſtate veteris imperii ſublimare, ſi auro veſtros veſtire parietes, cum veſtrae libertatis praeiudicio, non eſſet a recte ſentientibus acceptandus. Quo circa vos ſinceriſſime deprecamur quatenus ut decet Romanum ſanguinem, cuius propria eſt haec haereditaria libertas & virtus veſtrae ſaluti, dum licet, & dum tempus habetis, dum adhuc intra veſtra moenia veſtrae libertatis oppreſſor domeſtice non ſervatur, dignemini, populi Romani, cuius ſalus in manibus eſt, conſulere libertati, pro qua, quum placuerit, etiamſi nos duxeritis requirendos, parati ſumus omnem noſtram potentiam tamquam pro libertate & ſalute propria deſtinare, memores quod poſtquam ſub jugum, quamvis ab initio ſuave videretur, veſter populus venerit, durum erit emergere, nec proderit quod ſequi conſuevit infelices exitus.., Dat. XXV. Decembris MCCCLXXVI.

SE-

XVIII.

SENENSIBUS. (1)

FRatres Cariſſimi. Numquam ſalvum conductum a Summo Pontifice pro tribus oratoribus habuimus, quos intendimus hinc iter arripere ſaltem die martis proxime ſecututi. Et poſtquam ſcimus vos ad Sanctitatem Suam veſtros oratores, ut per verba veſtrorum Ambaxiatorum percepimus, tranſmiſſuros, ſententiam proceſſuum dubitatis ſedem Apoſtolicam formaturam, & noſtros oratores ob proceſſus contra nos habitos ſimiliter deſtinemus & audituros etiam ſi quid de pace forſitan agitetur, Fraternitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus ad unitatem, quae inter nos eſt, cunctis maniſeſtius oſtendendam placeat taliter ordinare, ut noſtri una cum veſtris ſimul proficiſcantur, & ſuper hoc nobis per latorem praeſentium reſpondere. Datum die XXIIII. menſis Decembris.

RE-

(1) Florentini ad Pontificem pro pace tractanda, quum nuntios mittere decreviſſent una cum Senenſibus, narrant eiſdem nondum Salvumconductum a Pontifice impetraſſe. Tandem miſſi ſunt *Pazzinus Strozzi*, *Alexander Dell' Antella*, & *Michael Vanni Ser Lotti*.

XIX.

REGINAE IERUSALEM. (1)

SEreniſſima Regina. Recordamur Maieſtatem Veſtram pluries devotioni noſtrae, & vivae vocis officio & per literas intimaſſe, Maieſtatem veſtram anxie & moleſtiſſime tolerare ſcandalum inter Sanctam matrem Eccleſiam & nos, quod etiam uſque ad manifeſta bella proceſſerit, factitatum; & ad id ſedandum, & interceſſione ſaluberrima componendum paratam fore veſtram celſitudinem laborare; de quibus repetita totis mentium noſtrarum affectibus, relatione debita gratiarum, poſtquam Sanctiſſimus Pater & Dominus noſter Summus Pontifex in Italiam venit, & ſua nobis benignitate conceſſit ſecuritatem pro tribus oratoribus ad Suae Beatitudinis potentiam tranſmittendis, quos circa factum pacis informatos his proximis diebus intendimus deſtinare, Clementiam atque humanitatem veſtram cordiali devotione humilique ſupplicatione cum reverentia deprecamur, quatenus ad diſponendum praefatum Dominum noſtrum ad pacem, prout opportunior circumſpectio Veſtrae Benignitatis putaverit, dignemini veſtras partes apponere, & ipſum ad hunc pacis effectum pro ſalute totius Ita-

(1) Haec Epiſtola Reginae *Iohannae* ſcripta eſt, ut apud Pontificem pro pace firmanda per ſuos nuntios operam, operamque praebeat.

Italiae ſinceris exhortationibus inclinare. Ceterum quum circa hoc vera inſinuatione percepimus illuſtriſſimum Veſtrae Celſitudinis Collateralem ſollicite & fideliter laboraſſe, & magnae ingratitudinis ſignum eſt, ſiquis recepta beneficia nube taciturnitatis obduxerit, tanti beneficii memores & Serenitati Veſtrae, & ſuae Humanitati quanto copioſiora poſſimus devotis animis impendia referimus gratiarum. Sublimitatem veſtram dignetur Altiſſimus longis temporibus feliciter conſervare. Datum Florentiae die XXVI. Decembris XIIII. Indict. MCCCLXXVI.

XX.

DOMINO OTTONI.

ILluſtris & Clariſſime Domine. Laetanter audivimus Excellentiam veſtram apud Sanctitatem Apoſtolicam in migratione, quam nuper fecit ad partes Italiae diligentiſſime laboraſſe, & quod Beatiſſimum Patrem & Dominum noſtrum Dominum Summum Pontificem ad pacem & concordiam cum devotione noſtra & aliis Italicis flecteretis; de quo, totis affectibus gratiarum debitum perſolventes magnanimitatem veſtram ſtrictiſſime deprecamur, quatenus in acceſſu noſtrorum Oratorum ad ſuae Sanctitatis praeſentiam celeriter mittendorum, aut viva voce, ſi nos in curia adeſſe contigerit, aut per literas vel Oratores veſtros, ſi vos ibidem perſonaliter intereſſe forſitan non poſſetis, dignemini tam laudabilia incoepta proſequi, ut poſ-

poſſimus favore veſtro pacem quam appetimus adipiſci. Datum &c.

XXI.

DOMINO KAROLO DE DURACHIO.(1)

ILluſtris & Magnifice Princeps. Recordamur Veſtram Excellentiam ad ſedandam diſcordiam quam habemus cum Eccleſia, eamque ſaluberrime componendam vos tam per oratores, quam per literas obtuliſſe; de quibus repetita totis mentium noſtrarum affectibus, relatione debita gratiarum, poſtquam Sanctiſſimus Pater & Dominus noſter Summus Pontifex in Italiam venit, & ſua nobis benignitate conceſſit ſecuritatem pro tribus oratoribus ad Suae Beatitudinis potentiam tranſmittendis quos circa factum pacis informatos his proximis diebus intendimus deſtinare, Clementiam atque humanitatem veſtram cordiali devotione humilique ſupplicatione cum reverentia deprecamur, quatenus ad diſponendum praefatum Dominum noſtrum ad pacem prout opportunior circumſpectio Veſtrae Benignitatis putaverit, dignemini veſtras partes apponere, & ipſum ad hunc pacis effectum pro ſalute totius Italiae ſinceris exhortationibus inclinare. Datum &c.

PRAE-

(1) Hoc eſt Δυῤῥαχίῳ vulgo *Durazzo*; Inſula notiſſima. Hic *Carolus* a *Ludovico* Rege Hungariae, & a Pontifice *Urbano* VI. commotus in Regnum deſcendit ad deponendam Reginam *Ioannam*.

XXII.

PRAEFECTO. (1)

CONSOLATUR EUM DE MORTE GERMANI.

ILluſtris & Magnifice Domine Frater cariſſime: Pulſavit aures noſtras funebris rumor nuncians Germanum veſtrum Baptiſtam, de medio ſubtractum a mortalibus ad immortalia migraviſſe; in quo triſtati ſumus ultra quam deceat in hominis obitu contriſtari. Sed non ſumus corde lapideo, quod tantus inopinatus praeſertim caſus mentes noſtras non moveat. Omnium quidem non tam ex affinitate vocabuli, quam naturali quadam ratione proprium eſt humanitas, ſupra quam regere dura ſeveritas videatur. Moti ergo ſumus, ſed ita tamen ut vobiſcum non minus conſolari placeat, quam dolere, utpote qui fratrem amiſeritis numquam virtutum vel meritis & gloria periturum. Vos itaque nolite dolere illum mortalem corporis ſarcinam demiſiſſe; ſed iucunda ſit vobis Baptiſtae veſtri memoria, qui quantum homini licet humanae compoſitionis fluxibilitatem immortali virtutum praeconio reſtauravit. Longe quidem me-

(1) Haec Epiſtola ſcripta eſt *Praefecto de Vico* qui, ut ſuperius diximus, Viterbienſes contra Pontificem in rebellionem ſuſcitaverat.

melius in eo veram caritatem & amorem oſtendetis per laetitiam, quam per flaetum. Illam enim poteſtis divitius conſervare atque repetere: hunc autem, etſi volueritis diu nutrire, veſtrae mentis fortunaeque miranda conſtantia non valebit, animi iucunditate ſuperveniente tolletur, aut ipſum omnium rerum corruptrix dies longior abolebit. Datum Florentiae die IIII. Februariii XV. Indict. MCCCLXXVI.

XXIII.

ESCULANIS.

AMici Cariſſimi. Fuit coram nobis nobilis vir Boſſus de Maſſa civis veſter dilectus, quem & recomendationes veſtrae & ſincera opera quae in liberatione veſtrae civitatis impendit nobis de caro cariſſimum effecerunt; ob id eidem in omnibus quae poſtulavit duximus complacendum; & quamvis credamus non oportere, nihilominus tamen eum amicitiae veſtrae tamquam dilectorem veſtrae libertatis & devotum filium totius ligae cordialiter commendamus. Datum Florentiae die VIIII. Febr. XV. Indict. MCCCLXXVI. (1)

(1) Ex hac Epiſtola colligitur hunc *Boſſum de Maſſa* plurimum in Eſculana obſeſſione laboraſſe, ut eam urbem a Britonum manibus liberaret.

XXIV.

DOMINO (1) RANALDO.

Magnifice Domine Frater & amice cariſſime. Nobilis vir Boſſus de Maſſa nuper fuit coram nobis, & eum invenimus diſpoſitum ad omnia, quae ſtatum ſacrae Ligae & Colligatorum incrementa reſpiciant, tamquam huius Sanctiſſimae Confaederationis ſingulariſſimum Zelatorem. Et ob id ipſum nobilitati Veſtrae affectuoſiſſime commendamus, cordialiter deprecantes, quatenus amore noſtri eumdem placeat benigne tractare, & ponendo vobis ante oculos quot & quanta pro liberatione Eſculana fideliter geſſerit, non permittere, quod in ipſum aliquid adtentetur; ſed eum exigentibus ſuis meritis & intentione bona quam habet, a cunctis offenſionibus praeſervare. In quo nobis ſingularem complacentiam facietis. Siquid autem ab eo veſtra nobilitas poſtularet, hoc nobis placeat intimare, quoniam in hoc ut inter vos ſit plena concordia, partes noſtras tam libenter quam efficaciter apponemus. Datum &c.

PE-

(1) Videtur idem eſſe ac *Rainaldus*, & *Rainalduccius*, cuius mentio eſt in ſuperioribus Epiſtolis.

XXV.

PERUSINIS.

FRatres cariſſimi. Non ſine admiratione nuper audivimus, vos ſtipendiarios veſtros diebus proximis caſſaviſſe, nec venit in mentem quanta, hoc futuri veris tempore, cuius iam principium attigimus, praeparentur. Heinc Civitas Bononiae mirabiliter fluctuat & externo atque inteſtino malo; tanta eſt eorum diſſentio; periculoſe laborat; ad quam ſubſtinendam oportet nos omnes vires noſtras opponere, attento maxime quod in partibus Romandiolae duo potentiſſimi exercitus incubant, Anglicorum videlicet (1), & Britonum; quorum funeſta congeries nobis eſt formidini, & Bononienſibus magno periculo poſſet eſſe. Inde etiam ſcimus, trecentas Britonum Lanceas per Fulgineum ad civitatem Tuderti praeſentialiter acceſſuras, ubi ſub Domino (2) Bituricenſi, qui ibi-

(1) Anglorum Exercitus a *Ioanne Aucut*, vel *Aguto*, & Britonum ab *Ioanne Malaſtretta* & *Franciſco Buda* ducebatur.

(2) Dominus Cardinalis *Bituricenſis*, vel potius *Gebennenſis*, vel *Gevevenſis*, fuit cum Britonum manibus in Italiam miſſus a Pontifice *Gregorio*, qui tunc Avinione morabatur ad recuperandas urbes Eccleſiae, quae a Pontifice defecerant. Hic Cardinalis, *Robertus* nomine nuncupatus, fuit poſtea contra *Urbanum VI.* Ananiae Pontifex creatus nomine *Clementis*

ibidem diebus proximis expectatur, debeant militare. Quo circa, Fratres cariſſimi, expergiſcimini; tempus enim inſtat, in quo tot feliciter incoeptorum fructum, ſi in potenti fuerimus brachio cum gaudio colligamus, & ob id placeat vobis taliter providere, quod tanta non ſitis circumſepti potentia, quod ne dum pro vobis, ſed etiam pro colligatis ceteris poſſitis reſiſtere, & ubi oportuerit, valida ſubſidia miniſtrare. Nos autem in hoc taliter iam providimus, quod Deo dante, ſi veſtra, & aliorum colligatorum non defuerint auxilia. Quod ſupereſt, eventu feliciſſimo concludemus. Datum Florentiae die XXI. Februarii MCCCLXXVI.

XXVI.

OMNIBUS COLLIGATIS. (1)

FRatres cariſſimi. Redierunt Oratores noſtri de Curia a Vicario Regis pacifici, non pacem, ut decuit, ſed conditiones pacis, nec poſſibiles, nec honeſtas. prout cernimus

tis VII. contra cuius electionem *Colucius* noſter Epiſtola ad Cardinalem *Corſinium*, & antecedenti ad ceteros Cardinales data, acriter inſurgit, nam Florentini partes *Urbani* ſequebantur.

(1) Qui fuerint foederati ſuperius innuimus & ex Epiſtola quaedam ad Colligatos miſſa quae inferius habebitur melius eluceſcet, quum ſingulis indictum & notatum ſit, quibus auxiliis & expenſis concurrere debeant ad bellum contra Pontificem committendum.

mus reportantes; utpote qui poſtulet nos ultra quadriennium nullos noſtros iuvare poſſe contra Romanam Eccleſiam colligatos; & qui velit in primo anno quingenta millia Florenorum; & ſequenti triennio ducenta Florenorum millia annuatim. Quum itaque paci vel concorcordiae iuſtis conditionibus non ſit locus, totius Ligae viribus accingi vos & nos oportet ad bellum. Et ideo vos requirimus, & hortamur, quatenus cum maiori quantitate gentium, quam poteſtis vos ad defenſionem libertatis Italiae diſponatis ſuper hac materia, veſtros oratores plenius informatos, ſi vobis placuerit, cum quibus conferre nobis ſit licitum, quanto citius fieri poterit tranſmittendo. Datum Florentiae die x. Martii xv. Indict. MCCCLXXVI. Ceterum vos rogamus quatenus gentes illas, quas certe percepimus Romae in totius Ligae perniciem congregari ab eundo placeat per veſtrum territorium prohibere.

XXVII.

DOMINO RAINALDO.

FRater & Amice Cariſſime. Recipimus litteras veſtras & non ſine admiratione valde pungentes ſuper factis Boſſi de Maſſa, quem nos & in Ligam recepiſſe veſtra nobilitas acerrime lamentatur, quum tamen eum nonniſi ad preces Peruſinorum & Eſculanorum

Dominorum (1) Rodulphi & Bartholomaei, & aliorum nobilium de Marchia tamquam benemeritum noluerimus acceptare. Quicquid autem dixerit vel fecerit dictus Boſſus, ſi in Colligatorum veniret diſplicentiam doleremus. Nec hoc deberet nobis propterea tamquam id agentibus imputari. Non enim fuit nec eſt intentionis noſtrae, quod per Ligam Boſſi, veſtrae Ligae, vel aliis aliquod praeiudicium generetur; & ſic fuit expreſſe in ſuis conventionibus reſervatum. Litterae autem quas eidem conceſſimus, ſunt in forma communi, de quibus non debuit veſtra nobilitas admirari. Ceterum eidem Boſſo ſcribimus opportune, prout ad amicitiam credimus pertinere; & confidimus quod ab eo nihil niſi fraternum & amicabile erga vos & colligatos alios committetur. Et ſi ipſe diſſimulare non velit, novit bene quali animo ſumus erga vos, & comune Firmanum, ex quo ſub ſpe noſtri favoris non deberet aliquid in veſtram diſplicentiam adtentare. Ceterum ad omnem hanc diſcordiam componendam ſcripſimus Iacobo (2) Bernardo civi noſtro dilecto, quum ad vos debeat properare, per quem ſperamus hanc diſſenſionem cum veſtro beneplacito removendam. Quod ſi forte per reverſionem dicti Iacobi non fuerit; im-

(1) *Rodulphi de Varano* totius Florentini exercitus Imperatoris, qui cum Foederatis etiam ſuo nomine proprio foedus percuſſerat; etiamſi poſtea, licet ab ipſis ſummis honoribus adfectus fuiſſet, defecerit, & ad partes Eccleſiae redierit.

(2) Forſitan aliquis eſt ex Commiſſariis Reipublicae, ut in ſubſequenti Epiſtola indicatur.

immediate hac ſola de cauſa alium probum, & ad haec aptum intendimus deſtinare. Non enim eſt noſtrae intentionis, quod de iuribus Comunis Firmi ab eodem vel alio quod plene ſervetur aliquid omittatur. Datum Florentiae die XIII. Martii XV. Indict. MCCCLXXVI.

XXVIII.

BOFFO DE MASSA.

NObilis amice cariſſime. Lamentatur Dominus Rainaldus, (1) quod tu contra Statum ſuum aliquos Comitatinos, nobileſque Firmanos ſub praetextu noſtri ſubſidii niteris concitare. Quod ſi verum foret, foret tua nobilitas multipliciter reprehendenda. Scis enim Dominum Rainaldum eſſe de noſtris principalibus Colligatis, contra quem adtentari contra unitatem eſt Ligae, & in noſtram maximam diſplicentiam, imo ut verius loquamur, iniuriam redundaret. Et ob id ſi verum foret, velis, ut teneris & debes, ab huiuſmodi machinationibus abſtinere. Scis etiam inter alia capitula Ligae, quam tecum contraximus, ſpecialiter reſervatum, & tecum actis, nullis aliis colligatis praeiudicium generetur: ex quo ad te quum ſentiamus caſtra quae tenes cum Firma-

 no

(1) Ex hac Epiſtola, aliaque antecedenti forte colligitur *Rainaldum* vel Firmanis praefuiſſe, vel Firmanorum rebellionem concitaſſe; vel ſaltem cum Firmanis finitimum eſſe.

no ad faciendum aliqua de iure teneri, & honore & debito pertinere, Comune Firmanum & Dominum Ranaldum in omnibus venerari; & ita te ſinceriter exhortamur. Ceterum ad componendas has diſſenſiones, tum pro ſalute Ligae, tum pro tranquillitate iſtarum partium intendimus deſtinare noſtrum ſpecialem Commiſſarium, cui in honeſtis & tibi poſſibilibus placeat aſſentiri. Datum Florentiae die XIII. Martii XV. Indictione.

XXIX.

SENENSIBUS.

FRatres Cariſſimi. Scitis quid pro confirmatione Civitatis Cortonae & conſervatione ſtatus illius filii veſtri ac noſtri per oratores veſtros cum eo, quem ob hoc miſimus, ſalubriter fuit proviſum. Nunc autem audivimus Dominum (1) Ioannem more ſolito per fallacias curaturum inter vos & nos ſuſpicionem & ſcandalum ſeminare, qua via & qua forma neſcimus. Sed ex nunc firmitatem veſtram ſinceraliter perdocemus ipſum hoc vel viva voce vel per literas fictis ſuggeſtionibus tentaturum. Quod

(1) Neſcio an ſit *Iohannes Acutus* qui nondum ſub ſtipendiis Reipublicae militaverat, ſed partes Eccleſiae ſequebatur; quamquam poſtea ab Eccleſiaſticis defecit, & loco *Rodulphi Varani* totius Florentini exercitus Imperator fuit creatus.

Quod ſi fecerit, ut a fide digno percepimus ipſum infallibiliter agitare vos totis affectibus deprecamur, quatenus ea in eam partem, quam debetis, prudentia ſolita reputantes, ſi placet, nobis dignemini per veſtras litteras intimare, ut vincat veritas conficta mendacia, & ipſe; ſicut talia machinantem decet; cum pudore in ſua malitia confundatur. Datum Florentiae die XVII. Martii XV. Indict.

XXX.

PRAEFECTO. (1)

ILluſtris & Magnifice Domine, Frater cariſſime. Recepimus litteras veſtras, quas nobis ſtrenuus miles Dominus (2) Vulf fideliter praeſentavit, ſatis querule deſignantes ſtatum partium, & indigentiam gentium quam habetis: quibus breviter reſpondemus quod Dominum Vulfum celeriter remittemus, & de pecunia pro aliis, quos habetis, taliter eſt proviſum, quod ipſos habebitis aequitantes, & ut ſperamus & volumus, obſequentes. Quod ſi de pecunia non fuit hactenus ordinatum, ſolum propter difficultatem contigit tranſmittendi. Nunc autem viam invenimus per quam pecunia non deficiet, ſed habebitur ante tempus. Unum interim lite-

te-

(1) Haec Epiſtola ſcripta eſt eidem *Praefecto* de *Vico*, cui ſuperiores Epiſtolae ſcriptae ſunt.

(2) Ex cognomine adparet, hunc militem ex Germania deſcendere.

terarum veſtrarum ſatis admirati ſumus ubi dicitur: O (1) ſi fallimur, quam dolemus! Eſt haec ne ſpes quam ad vos habuimus & habemus? Nos ne; ut vobiſcum domeſtice loquamur; vos fallimus? An non poteſtis de nobis in cunctis poſſibilibus ſpem habere? Nonne nos neglecto noſtro periculo, quamvis circa nos, duo hoſtium validi exercitus, & tota potentia Eccleſiaſticorum obvolverit, ad vos longe maiorem quantitatem gentium, quam debemus, tranſmiſimus, & ad veſtram defenſionem continue retinemus? Utinam vos & alii Colligati, conventorum memores, quas debetis gentes habere, realiter teneretis, non oporteret gentes quas miſimus ad terrarum cuſtodiam deputare; de quo ſumme dolemus; quoniam noſtra potentia, quae eſt in illis partibus longe maior, quam vires hoſtium, in caſtrunculorum moenibus non lateret; ſed undique poſſet, ſi liceret ipſam in unum conflare, in hoſtium, ut optamus, excidium fulminare. Quid eſt dicere, quod niſi terras veſtras noſtris gentibus impleatis, quod de ipſis ſecuri vivere non poteſtis? Non ſic putavimus, Frater egregie, ſed de veſtris ſatisfaciendo cuſtodiae terrarum, cum tota noſtra gente, & cum veſtrorum electorum hominum comitatu vos arbitrabamur in hoſtile territorium bellaciter ruiturum, ut veſtra virtus & magnanimitas aemulis timorem incuteret, & per armorum exercitium cum gloria & exultatione veſtri nominis adpareret. Quod ut faciatis, vos cumulatis parti-

(1) Videtur Praefectus Epiſtolam ad Florentinos miſiſſe in qua de belli exitu dubitaverit.

tibus exhortamur; nam noſtrae intentionis non eſt, quod gentes ad noſtra ſtipendia militantes veſtra murorum cuſtodia occupentur. Expergiſcimini itaque, frater cariſſime, quoniam ut vates noſter vulgaris Dantes (1) elegantiſſime dixit: dormiendo ſub delicatis operimentis in famam numquam quis erigitur, vel in plumis. Forte plusquam deceat virtutem veſtram quae non indiget calcaribus incitamus: ſed tantus eſt ardor noſtrarum mentium ad veſtri ſtatus & nominis augumentum, quod haec placuit ad incendendum veſtrum generoſum animum non tacere. Datum Florentiae die XVIIII. Martii XV. Ind. MCCCLXXVI.

XXXI.

DOMINO MARCHIONI. (2)

ILluſtris & magnifice Domine, Frater cariſſime. Recepimus veſtras litteras ſuper novitatibus, quas factas aſſeritis nobilibus (3) de Barbiano cum copia literarum dictorum nobilium

(1) Verſus Dantis ita habet *Dormendo non ſi vien nè ſotto coltre*.

(2) Hic eſſe videtur *Nicolaus*, vel *Hugo*, vel *Albertus* ex Marchionibus *Eſtenſibus*, qui omnes Vicarii munere pro Eccleſia in urbe Ferrarienſi fungebantur.

(3) Erant hiſce temporibus inſignes *Albericus* Cunii Comes, & *Ioannes* a *Barbiano*, quorum primus Mediolanenſis exercitus erat ductor, cum quo militabant facinoroſi homines gregatim ducti, qui ſimul conve-

lium interclusa; ſuper quibus (1) Aſtorgio ſcribimus & aliis noſtris gentibus opportune; & valde contentaremur quod in illis partibus pax vigeret. Miramur tamen, quod adeo tenaciter illi Comites negaverint ſe nullam intuliſſe prorſus noſtris colligatis & ſociis novitatem, quum ipſi ſint caput & duces Italicorum, qui in Romandiola pro Eccleſia militant, & bellum inferunt omnibus colligatis. Nec eſt conveniens illos domi petere pacem, qui foris tam acerrime gerant bella; & ob id dignemini taliter ordinare, quod undique ceſſent hoſtilia, & nos verſa vice idem cum noſtris conabimur procurare. Datum Florentiae die VIII. menſis Aprilis XV. Indict. MCCCLXXVII.

DO-

venientes rapinis, & caedibus vivere aſſueti erant; & vocabantur *Compagnie*. *Albericus* erat ductor Italicorum militum, qui appellabantur, *La Compagnia di S. Giorgio*. Ioannes vero Dux erat exercitus Bononienſis; quorum mentionem facit *Admiratus Hiſtoriarum Florentinarum Lib. XIIII. & XV.*

(1) *Aſtorgius Manfredi Faventiae* dominium ſumpſerat. Nam eam urbem ab Anglis vi captam, & Marchioni Ferrarienſi ab eiſdem pretio datam, *Aſtorgius* qui alias Faventinis imperitaverat, ſacrae Ligae viribus recuperavit.

XXXII.

DOMINO IACOTTO (1) ET ROGGERIO.

AMici Cariſſimi. Recepimus literas a magnifico Fratre noſtro Domino Bernabove in hac forma videlicet. Magnifici Fratres cariſſimi, &c. Ad factum autem promiſſionum quas exigebamus reſpondemus &c. Quo circa prudentiam veſtram deprecamur, quatenus pro honore Domini, qui iam praecepit, quod Anglici ſcribantur inter Forolivium & Ceſenam, & quod Britones & aliis hoſtibus bellum inferant & lucrentur cum eis: quatenus placeat Summo Pontifici proteſtari, & ſi fuerit poſſibile per publicum inſtrumentum in hac forma videlicet. Quamquam magnificus Dominus Dominus Bernabos &c. nullo iure arctetur ad notificandum vel praedicendum eidem Domino Papae infra dicenda; nec quemcumque eventum ipſe magnificus Dominus Bernabos ea non notificando ſeu non praedicendo propterea non veniret contra aliqua praemiſſa Domino Papae praedicto vel eius viceſgerenti vel aliquibus aliis colligatis: nihilominus tam ex honeſtate quadam

(1) Haec Epiſtola ſcripta eſt oratoribus, vel Commiſſariis Domini *Bernabovis*, & continere videtur formam proteſtationis, quam facere debuerant Summo Pontifici nomine ipſius *Bernabovis*.

dam ipſi Dominus Iacottus & Roggerius Commiſſarii dicti Magnifici Domini Domini Bernabovis, & de eiuſdem Domini Bernabovis commiſſione notificant & praedicunt eidem Domino Papae perſonaliter, quod idem magnificus Dominus Dominus Bernabos volens fidem ſervare, & promiſſa implere Comuni Florentiae & aliis Colligatis ſuis, intendit, & vult eſſe ad offenſionem quorumcumque inimicorum dicti Communis ſeu Ligae praedictae in partibus Italiae nullo excepto, ipſum Comune Florentiae, & ceteros colligatos omni dilatione poſtpoſita ad omne ſuum poſſe iuvare, & omni bello quod gerunt aut diſponerent inferre, ſe realiter immiſcere ad offenſionem & defenſionem, ſicuti facere debent boni fratres & veri amici & Colligati. Datum Florentiae die XIII. menſis Aprilis XV. Indict. MCCCLXXVII.

XXXIII.

CARDINALI FLORENTINO. (1)

REverendiſſime in Chriſto Pater, & Domine. Literas veſtrae paternitatis accepimus, quibus turbationem Summi Pontificis in aggravatione proceſſuum, & intente contra Comune noſtrum praedicanda reſcribitis, & que-

(1) Cardinalis *Petrus Corſinius*, qui vocabatur Cardinalis Florentinus, & cui ſcripta eſt ſuperior Epiſtola, quae habetur *pag.* 39.

& querimoniam, quam fecit de Salvoconductu pro Suae Sanctitatis nuntiis non obtento, ſtilo pulcherrimo deſignatis, de quorum intimatione Reverentiae veſtre uberrima referimus impendia gratiarum. Et quoniam ea ſcimus a ſincero zelo, quem habetis ad patriam, proceſſiſſe, attentiſſime ſupplicamus, quatenus ſimiliter dignetur facere Reverendiſſima veſtra Paternitas in futurum. Quantum autem ad reſcripta pertinet de Salvoconductu, quem ſibi Sua Sanctitas adſerit denegatum vehementiſſime cogimur admirari; quamquam oratores noſtri de curia redeuntes retulerunt, quod pro quibus hanc ſecuritatem concedere deberemus & in qua forma nobis per Sanctitatem Suam vel alios de eiuſdem mandato debuit intimari, quum tamen inter alia proſcripſiſſent Apoſtolicos nuntios nullatenus tranſmictendos; & nos ſcimus de hoc nihil penitus agitatum. Cur quaerit Sua Sanctitas occaſionem non cauſam ſoeviendi? Cur de noſtra devotione conqueritur, quoniam in his quae pacis ſunt nullatenus deficimus? Non eſt in nobis tanta ſuperbia, quod nedum Sanctiſſimae maieſtatis Suae nuntiis ſed etiam cuiuſvis viliſſimi Comunis vel Domini ſecuritatem & literas huiuſmodi negaremus. Quod autem adeo in nos exaſpere proceſſus inſtituat; & quod perſecuturus ſit gregem ſuum in tanta abominatione & ſecuritate ſententiae, quum ſinceritati voluerit auditum, poſtquam adplicuit in Italiam exhibere, potuerit non ſolum auribus percepiſſe, ſed vidiſſe oculis & manibus tetigiſſe culpas ſuorum Officialium, & errores quibus compulſi ſumus in hoc defenſionis noſtrae certamen

pro

pro noſtre libertatis tutamine deveniſſe, & propterea, niſi ſit de quibus Ieremias loquitur, quod erubeſcere neſcierunt; iam debuiſſet inquirere pacem & proſequi eam; quum Regnum Dei, cuius vires gerit in terris non ſit eſca & potus, ſed iuſtitia & pax, & quaerere debeat pacem civitatis ad quam Dominus tranſmigrare eum fecit, quoniam in pace illius erit pax, ſibi cordialiter condolemus. Sed poſtquam non eſt innocentia tuta, ſed mala malis quotidie cumulantur, non in confuſionem Eccleſiae, cuius nos eſſe membrum ducimus & fatemur, & non tamquam haeretici, qui & in Deum credamus, & in omnibus quae catholica fides credenda ſancivit, adcingimus gladium ſuper femur noſtrum potentiſſimum, & praedicationi Crucis per Dei gratiam cito Anglicos, & alias gentes noſtras viriliter opponentes, tamdiu bellum ſine intermiſſione geremus, quamdiu pacem iuſtis poterimus conditionibus invenire. Datum Florentiae die XVIII. menſis Maii XV. Indict. MCCCLXXVII.

MAR-

XXXIV.

MARCHIONI ESTENSI. (1)

ILluſtris & magnifice Domine Frater cariſſime. Recepimus literas veſtras de novitate quam fuiſſe factam dicitis contra veſtros de Lugo (2) querimoniam facientes, quibus breviter reſpondemus, quod de invaſione, capturis & praeda veſtris literis adnotatis cordialiter condolemus; nec poſſumus credere, quod niſi ipſi cauſſam dederint, qui, ut audivimus, contra Solarolum hoſtiliter diſcurrendo, fuerint contra ipſos quaecumque ſcribitis adtentata. Nihilominus tamen, quoniam veſtras proprias terras non minus quam noſtras intendimus conſervare, ſcribemus, tam Aſtorgio, quam noſtris gentibus opportune quod integram reſtitutionem faciant ablatorum, & id intendimus pro viribus procurare. Vos autem verſa vice ipſos & alios de veſtris terris dignemini taliter admonere, quod ab omni invaſione abſtineant, nec contra ipſos cogat neceſſitas inſultare. Ceterum, Frater cariſſime, ſatis miramur, quod de his quae oratori ve-

(1) *Albertus Eſtenſis* Ferrariae Dux, cui etiam ſuperior Epiſtola ſcripta eſt, quique, ut diximus, ab Anglicis Faventiam captam, quadam pecunia ſoluta, impetravit; quam urbem *Aſtorgius* Foederatorum ope recuperavit. *Aſtorgius* enim Faventiae Dominium, antequam ab Anglicis caperetur, ſibi uſurpaverat.

(2) Oppidum in Lombardiae partibus ſitum,

veſtro reſpondendo commiſimus, nullam adhuc accepimus reſponſionem, quam fieri celeriter totis affectibus deprecamur, ut omnis ſcandali materia ſuccidatur, & nos ſciamus qualiter habemus inſimul vivere, & per conſequens, quid debeamus noſtris gentibus prohibere. Datum Florentiae die XXVIIII. Maii XV. Indictione.

XXXV.

ARCHIEPISCOPO COSENTINO (1) ET DOMINO MATHIAE DE GESUALDO.

Reverende in Chriſto Pater & Domine; & magnifice miles & Amice cariſſime. Recepimus literas veſtras, per quas nobis de retrahendis gentibus noſtris a territorio Romanorum pro faciliori concluſione pacis expoſcitis, & per eas faciamus abſtinere ab omnibus in eodem loco militantibus, nos rogatis. Quibus breviter reſpondemus, quod quamvis pro defenſione noſtra nos compulerit extrema quaedam neceſſitas arma movere, ſemper tamen ea fecimus per quae debeat turbatio Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri Domini Summi Pontificis mitigari, quam ubique propulſare curavimus, iniurias non inferre, & gentes, quas in circumſtantia Romanorum habemus ex debito foe-

(1) Utrique erant oratores Reginae Iohannae ab ea ad Pontificem miſſi ut cum Pontifice & Florentinis pacem firmarent.

foederis ad noſtros tranſmiſimus colligatos.. Qui, quantum ex praeteritis poſſumus coniectari, ad iniurioſum aliquid non prorumperent, niſi forſan per offenſionem fuerint ad aliud provocati; quoniam ipſorum eſt pacem adquirere, ipſamque nullo modo, niſi cogat neceſſitas, impedire. Nihilominus tamen eos de his quae ſcribitis curabimus reddere certiores. Ceterum Pater optime, & Vos miles egregie, accumulatis precibus vos rogamus, quatenus ſicut laudabiliter incoepiſtis, ita conemini, quae pacis ſunt, pro viribus conſummare. Iniicite facundiae veſtrae manum Apoſtolicae Sanctitati; perſuadete ſcilicet quod quaerat pacem civitatis, ad quam Deus traſmigrare eum (1) fecit, quoniam in pace illius pax erit & ſibi. Recordetur quod Regnum Dei non eſſe cibum & potum, ſed iuſtitiam, pacem, & gaudium in Spiritu Sancto; in quo pacem dignetur dare in omnibus Provinciis per circuitum, ut ipſe miſericors Pater, & pius paſtor gregem filiorum ſuorum cognoſcat, & nos & alii filii Suae Sanctitatis & greges paſcuae ſuae, ſicut optamus, ad gremium ſuae benignitatis pacifice revertamur. Datum Florentiae die ultima Maii XV. Indict. MCCCLXXVII.

(1) Nam Pontifex *Gregorius* Avenione morabatur, & ad reſtituendam Italiae pacem, & Romae Apoſtolicam Sedem ponendam, & urbes quas amiſerat, recuperandas, nuper in Italiam venerat.

XXXVI.

COLLIGATIS. (1)

FRatres Cariſſimi. Prout vobis credimus eſſe notum, Societas Anglicorum conducta fuit per magnificum & excelſum Dominum Dominum Bernabovem, pro ſe, & ceteris colligatis; ſtipendium cuius capit in menſe ultra viginti quinque millia Florenorum. De quo ſtipendio, facta ratione & computo diligenti, tangunt veſtrum Comune pro duabus praeſtantiis & prima paga habito reſpectu ad taxationem gentium, quas vigore Ligae tenere debetis.... millia Florenorum. Quo circa fraternitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus contemplatione veſtri honoris, & amore noſtri, dignemini, nobis celeriter mittere ſupradicta... millia Florenorum. Datum Florentiae die ultima Maii MCCCLXXVII. XV. Indict.

Bononienſes	Flor. IX. millia
Peruſini	Flor. IIII. millia
Senenſes	Flor. III. millia
Arretini	Flor. MMCCL.
Praefectus	Flor. MMCCL.

Eſcu-

(1) Oſtendit haec Epiſtola *Ioannem Haucud*; vulgo *Acutum* vel *Agutum* a *Bernabove* Mediolanenſium Duce conductum fuiſſe ad confoederatorum ſtipendia. A quorum taxatione quam pollens & potens fuerit cuiuſque confoederati civitas illis temporibus facile colligitur.

Eſculani	Flor. DC.
Forolivienſes	Flor. MD.
Urbinatenſes	Flor. MCCCXL.
Firmani	Flor. MDCCC.
Caſtellani	Flor. DC.
(1) D. Guido de Polenta	Flor. MCC.
(2) D. B. de S. Severino	Flor. CCC.
(3) D. Bertrandus de Imola	Flor. CCCCL.
(4) D. Rodulfus	Flor. DC.

(1) Guido de Polenta Ravennae Dominium ſuſceperat, eamque urbem veluti ſuam regebat.

(2) *Bartholomaeus de Sancto Severino*, qui in defenſione Aſculana creatus fuit eques ob res feliciter ab eo geſtas, & deinde a Florentinis Equitis inſignibus donatus.

(3) *Beltrandus Alidoſius*, qui Imolam uſurpaverat.

(4) *Rodulphus* a Varano Camerinenſium Dominus, & totius Florentini exercitus Imperator, antequam a Liga deficeret, & ad Pontificis partes rediret.

XXXVII.

DOMINO TRINCIAE. (1)

MAgnifice Domine Amice cariſſime. Quanto caritatis ardore veſtram nobilitatem ſinceris affectibus proſequamur, quum nos de ſtatu veſtro videatis eſſe ſollicitos facile videtur aſpicere, quos cernitis tanta cura imminentia vobis pericula formidare. Nuper quidem quid diſpliceat audivimus. Videmini fratribus & colligatis noſtris Aſſiſinatibus bellum diſcurſorium intuliſſe; ob quod Magnifici Fratres noſtri Peruſini ſunt adeo concitati, quod nos duxerint iure foederis requirendos, ut ipſis noſtra militaria ſubſidia miniſtremus; Quod eiſdem profecto non poterimus denegare. Quid eſt, amice cariſſime? An dedit vos Deus adeo in reprobum ſenſum, quod ſtatum veſtrum, & veſtra, ruinae tam manifeſtiſſimae perverſis conſiliis exponatis? An putatis vobis utile futurum? An etiam

(1) Forſitan eſt *Trinclas Comes Trincii* ex primariis Familiis Fulginatenſibus, Florentini Populi amiciſſimus, & qui an. MCCCLXXXVI. Poteſtas fuit urbis Florentiae, ſumente Vexilliferi Iuſtitiae munus *Loto Caſtellani*; & forſitan hiſce temporibus in fide haeſitabat, & Pontificis partibus adhaerere potuiſſe, Florentini ſuſpicabantur.

etiam iudicatis honeſtum, quum Italici vos generis ſitis contra vicinos a quibus, ſicut prompta poſſent miniſtrari ſubſidia, ſic etiam inevitabilia pericula provenire pro exteris gentibus, quarum fidem & caritatem, ſi diſſimulare non vultis, pleniſſime cognoviſtis, hoſtiliter arma movere? Credite nobis, amice cariſſime, prius volabunt in aethere piſces, & pecus herbas mediis paſcetur in undis, quam in amicitia coheant Italicorum hi, quos videmus, nihil niſi ſubiugationem Italiae procurare; quibuſque nihil amarius, nihil gravius eſt, quam populos in libertate ſe regere, vel latini nominis viros Italicis praeſidere. Recordemini, Amice cariſſime, quot & quanta quotidie ut apud vos aliquid novaretur, veſtris ſubditis ſuggerebant. Miramur, haec, quae cunctis ſcimus eſſe notiſſima vos tanto veſtro diſſimulare periculo, & his fidem ſervare, quos quantum in eis fuit rupiſſe fidem agnoſcitis, & rupturos in poſterum dubitetis. Cavete ne iſta, in qua gloriam quaeritis, intemerata fidelitas, colendo tales, potius temeritas iudicetur, neve in ea vos & Statum veſtrum detis in praecipitium & ruinam. Sed haec ſatis ſint intelligenti; nunc autem quanto ſtudio curaverimus, vos per noſtros Commiſſarios cum Colligatis omnibus concordare, cui rei vos numquam praebuiſſe conſenſum materiam nobis admirationis exhibuit, videntes vos a veſtri ſtatus confirmatione & ſtabilitate diſcedere, & unde vobis demum paratur praecipitium inhaerere. Sed quoniam vos iure concivilitatis & veteris amicitiae caritate diligimus, quin etiam ob reverentiam maieſta-

tis Sereniſſimi Principis Domini Regis (1) Ungariae conſervare vos incolumem exoptamus adhuc vos totis affectibus deprecamur, quatenus meliori conſilio, & ſine morae diſpendio veſtrum Commiſſarium cum auctoritate ſufficienti huius rei concludendae cauſſa ad noſtram praeſentiam deſtinando. Quod ſi forſitan neglexeritis, quo poterimus colligatis noſtris, quos invadendo tam enormiter laeſos in veſtri Capitis inimicitias concitaſtis, quod debemus ex foedere ſubſidia denegare. Quod quum fuerit, cogitate cives veſtros belli moleſtiam nullatenus perpeſſuros, ut veſtrum in ſe manuteneant dominatum; ſed libertatem, cuius ante oculos videbunt inſignia, quaerituros. Quin etiam validum exercitum ſumus ad illas partes praeſentialiter tranſmiſſuri, ita quod ſi ad hanc concordiam realiter non veneritis ſine mora poſt vulneratam cauſſam, fruſtratorium erit remedium poſtulare. Super his placeat per latorem praeſentium reſpondere. Datum Florentiae die XIII. Iunii XV. Indict. MCCCLXXVII.

***

D. IOAN-

(1) Erat tunc temporis Hungariae Rex Ludovicus, qui *Andreae*, vulgo *Andreaſſo* ſucceſſit; qui *Andreas* laqueo ſuſpenſus Neapoli interiit.

XXXVIII.

D. IOANNI HAUCUD. (1)

MAgnifice & egregie miles amice cariſſime. Bononienſium magnificorum Fratrum noſtrorum praeteritis vexationibus fraterno compatientes affectu, nobilitatem veſtram cordialiſſime deprecamur, quatenus contemplatione noſtri dignemini cum veſtro felici & invicto exercitu per ipſorum fines innocue pertranſire, & ne militaris laſcivia, vel neceſſitas, ſicut moris eſt proficiſcentis exercitus, aliquid diuturniori mora forſan inferat detrimentum, quanto velocius fieri poterit cum tota comitiva veſtra verſus Romandiolam & fines hoſtium celeriter & per loca minus noxia properare. In quo nobis non minus, quam in conſervatione & indemnitate noſtri diſtrictus ſingularem complacentiam facietis. Datum Florentiae die XII. Iulii XV. Indict. MCCCLXXVII.

SA-

(1) Iohanni *Haucud*, vel *Auguto* Anglorum Ductori ſcripta eſſe videtur haec Epiſtola, quum iam ad confoederatorum ſtipendia venerat, conductus a *Bernabove* Mediolanenſium Duce; cuius meminimus *pag.* 84. & *pag.* 85.

XXXIX.

SALIMBENIBUS. (1)

NObiles Amici cariſſimi. Dubitantes ne inter magnificos fratres noſtros Senenſes, & nobilitatem veſtram per relationes ſeminarentur Zizania, peſſimum ſcandalum exoriri, ad eoſdem noſtros Fratres noſtrum tranſmiſimus oratorem, cui ſpecialiter dedimus in mandatis, quod veſtram progeniem vice noſtra debeat eiſdem efficaciter commendare. Qui rediens, nobis inter alia retulit, ſe hoc pleniſſime quantum potuit explicaſſe, & inveniſſe dominos illos ita bene & benigne diſpoſitos, ſicut erga quoſcumque cives benemeritos eſſe poſſent. Quo circa nobilitatem veſtram cordialiter deprecamur quatenus erga Commune veſtrum & patriam, cui debent optimi cives quicquid ſunt, & quicquid poſſunt, ac etiam vitam ſuam, bene & amicabiliter vos geratis. Nam ſicut omnium ſcelerum deteſtabiliſſimum eſt contra Patriam ſoevi-

(1) Una ex primariis Familiis Senenſibus & in urbe Senenſi valde potens. *Franciſcus Salimbeni* occiſus fuit anno MCCCCIIII. a militibus *Georgii* del *Carretto* Mediolanenſis Ducis Vicarii in ea urbe prope portas Palatii publici, eo quod ei imputaretur, quod cum Florentinis conveniret ad tradendam illis eam urbem, nolens Vicarium in Franciſcum manus injicere, timens, ne totam Salimbenorum Familiam potentiſſimam in ſe concitaret.

ſoevire, ſic perfectiſſima laus pro Patriae ſtatu & beneplacitis operari. Datum Florentiae die xxxi. Iulii xv. Indict.

XL.

BOFFO DE MASSA.

Nobilis amice cariſſime. Inter te & nobiles viros Pariſianum & Franciſcum Domini Napoleonis de Eſculo ad dirimendam certam controverſiam, quae inter illos & te ſatis diſplicabiliter vertebatur per magnificum militem Dominum Bartholomaeum (1) de Sancto Severino noſtri Comunis dilectiſſimum fillium & amicum lata fuit nonnulla Sententia, per quam teneris eiſdem ad praeſentationem aliquam faciendam; quod ſub praetextu collectarum publicarum huc uſque videtur tua nobilitas diſtuliſſe. Quo circa amicitiam tuam affectuoſiſſime deprecamur, quatenus contemplatione noſtra, omni replicatione ceſſante, placeat eiſdem de eo quod ordinatum extitit, integre reſpondere. Quod propter reverentiam iudicantis tuae prudentiae debitum eſt, ſibique omnibus conſideratis accedit honori, & nos nobis ad ſingularem gratiam adſcribemus. Datum Florentiae die xxxi. Iulii xv. Indict. MCCCLXXVII. Super hoc Fratribus noſtris Eſculanis intentionem tuam celeriter reſcribendo, ut ab eis poſ-

ſimus

(1) Huius Bartholomaei de Sancto Severino mentionem fecimus pag. 85.

ſimus de hoc quicquid ſequetur plenius infor- mari . Datum . &c.

XLI.

PERUSINIS.

FRatres Cariſſimi. Audivimus nobilem virum Angelum Domini Leggerii (1) Andreotti, honorabilem civem veſtrum, certas petere repreſalias, & regreſſum contra dilectiſſimos amicos noſtros Eſculanum populum & Commune, ſub praetextu certi ſalarii dicto quondam ſuo patri, dum in civitate Eſculana cuidam praeſideret officio, non ſoluti; de quo, vexata & exhauſta, ſicut notum eſt, civitate praefata innumeris cladibus, & abſumptis incendio omnibus publicis documentis, non poſſet aliquid demonſtrare. Sed utcumque res ſint, fratres cariſſimi, attrito Eſculano populo annali bello, quod non in campeſtribus, ſed intra moenia gerebatur, & conſiderata temporis conditione, & quod indecens eſt ius dici de his, quae ab ordinatione Eccleſiaſticae tyramnidis proceſſerunt, Fraternitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur quatenus amore noſtri dignemini ſuper praedictis tale ſilentium indicere, & conſueta veſtra prudentia taliter providere, quod comunes fratres Eſculani, quorum fides & inconcuſſum propoſitum cuncta beneficia promeretur, huiuſmodi quaeſitis coloribus non gravetur. Da-
tum

(1) Haec familia Peruſii hiſce etiam temporibus viget.

tum Florentiae die xxxi. Iulii xv. Indiꝫ. MCCC-LXXVII.

XLII.

PERUSINIS.

FRatres Cariſſimi. Recepimus literas veſtras, quibus nos de ampliori gentium numero requiritis, ſtatum Patriae & imminentia pericula deſignando. Et in hoc veſtram circumſpectionem & diligentiam commendamus. Et utinam ante tempus, ut decuit, hoc veſtra prudentia providiſſet, & ſecuraſſet gentibus armorum facere fortiorem. Melius enim, tutius, & quietius, tota veſtra patria ſe haberet. Et quum videatis hoſtes quotidie fortiſſimos, & nefas ſit ab hoſte arceri, vos rogamus quatenus pro defenſione veſtrae libertatis, quam tanto ſudore & periculo recuperaſtis de gentibus armorum veſtram militarem potentiam augeatis. Nos enim quomodo maiorem quantitatem gentium iſthuc poſſimus mictere non videmus. Ceterum & per oratores noſtros, & per veſtras multiplices literas ſperabamus ſolutionem pecuniae, quae vos tangit de ſtipendiis Anglorum iam fore factam (1), aut ſine morae diſpendio faciendam; & vos nunc dilationem quaeritis in ſolvendo. Nec conſideratis, quantis & quam intollerabilibus

(1) Solutio quae contingebat Arretinis ad quingenta & quatuor millia Florenorum, ut vidimus aſcendebat pro ſingulis menſibus.

libus expenſis noſtra Reipublica nunc gravetur; & quod bellum ſine magno pecuniarum profluvio geri nequit. Quo circa vos iterum requirimus & rogamus, quatenus praeciſis omnibus dilationibus veſtram ratam praefati ſtipendii Anglicorum dignemini deſtinare, aut ſolvi facere, cui pluries vobis meminimus, reſcripſiſſe. Datum Florentiae die ſecunda Auguſti xv. Indictione.

XLIII.

COMITI LUTIO.

Magnifice miles, Amice cariſſime. Poſtquam intelleximus prudentiſſime per vos deliberata circa facta Mercaniae de quo & per magnificos viros fratres noſtros Peruſinos fuimus plenius informati, qui multis laudibus vos extollunt, quod rem in magno periculo poſitam, ut decuit, dimiſiſtis; nos etiam ſalubertima veſtra conſilia in praedictis habita commendamus. Nec turbetur veſtra nobilitas, ſi Peruſini vulgus forſan ignorantia contrarium abloquatur, quia re non plena cognita, potuit in huiuſmodi detractionis eloquia prorupiſſe. Sit vobis abunde glorioſum, poſtquam veſtra virtus ab omnibus & gravibus commendatur. Et quoniam nos de maiori gentium numero requiritis pro magnifici fratris noſtri Domini Bernabovis, noſtris, & Ligae totius honoribus proſequendis, breviter reſpondemus; quod

pro-

propter capturam civitatis: (1) Faventiae noſtras gentes de partibus Romandiolae retrahere non valemus. Et quum paraviſſemus Dominum (2) Henricum Paer cum centum lanceis, ut ipſas ad veſtram obedientiam mitteremus; ſupervenit invaſio fratrum noſtrorum Senenſium, in quorum territorium non cum parva clade, hoſtes prout vos ſcire credimus irruerunt, & ad ipſorum ſubſidia nos oportuit, dictas centum lanceas deſtinare. Sed infra paucos dies ſperamus, quod ex utroque loco expeditis quae incoepta ſunt revocatas gentes noſtras habebitis in numero copioſo. Interim autem quoniam omnes gentes quae in partibus illis militant a nobis mandatum receperunt veſtris iuſſionibus obſequendi & per Verium de Adimaribus, quem oratorem iſthuc miſimus ordinavimus, de partibus Patrimonii CL. lanceas revocare, quae vobiſcum ſine longitudine temporis immittentur, & ipſis utamini ſicut libet. De Baliſtariis autem quos petitis, quum omnes ad obſeſſionem Caſtilionis, & Primalcuoris miſimus, non poſſumus pro-

(1) Nam exercitus Anglorum antequam a *Pontifice* defeciſſet Faventiam ceperat, & civium opes diripiens eam Marchioni Eſtenſi pretio dederat, quamvis paulo poſt *Aſtorgius* confoederatorum auxilio fretus, & qui Faventiae dominium alias rexerat, eam recuperavit.

(2) Narrat *Admiratus Florentinarum Hiſtoriarum Lib. XII.* hunc Henricum adeo inſignem fortemque militem fuiſſe, ut lancea armatus, octo ex Anglis militibus ab equo praecipitaret, duos vero interimeret, antequam lanceam, quam gereret, immutaſſet.

providere. Sed ſcribimus noſtris fratribus Peruſinis, quod de his vobis debeant ſubvenire. Eia igitur miles egregie, conemini ſicut laudabiliter incoepiſtis, veſtrae virtutis ſplendorem in illis partibus demonſtrare ad veſtri nominis gloriam, ac Fratrum, & exaltationem magnifici Patris veſtri, Fratris noſtri Cariſſimi Domini Bernabovis & totius Ligae, & confuſionem atque exterminium aemulorum. Datum Florentiae die VI. Auguſti XV. Indict. MCCCLXXVII.

XLIV.

PERUSINIS.

FRatres cariſſimi. Propter felicem invaſionem civitatis (1) Faventiae, quam ſperamus cito ad concluſionem optatam proſpere perducendam gentes noſtras de partibus Romandiolae non poſſumus revocare, & Dominum Henricum Paer, quem iſthuc tranſmittendum feceramus his diebus proximis preparari, oportuit nos ad Fratrum noſtrorum Senenſium ſubſidia deſtinare. Et ob id pro nunc de maiori quantitate gentium, donec alicubi contingat, eas quas deſtinavimus expediri, providere nullate-

nus

(1) Loquitur de Civitate Faventiae, quam ab *Aſtorgio Manfredi* recuperata fuit: nam prius, ut ſuperius diximus, eam urbem Anglorum cohortes depopulantes eam Marchioni Eſtenſi pretio dederant; a cuius manibus poſtea *Aſtorgius* foederatorum auxilio vindicavit.

nus non valemus. Interim autem (1) Comes Lutius aliarum noſtrarum gentium, quas in Marchia in Patrimonio habemus opera poteſt uti. Miramur tamen, Fratres cariſſimi, quod non curetis eidem de pedeſtribus gentibus & Baliſtariis, quos poſtulat, ſubvenire; vos hortantes, quatenus concedendo eidem ducentos Baliſtarios poſtulatos, & equitatu veſtro undique congregato, relictoque in caſtris veſtris pedeſtri praeſidio, vires praefati Domini Comitis augeatis; ut poſſit quae ſint ſtatus veſtri & totius ligae viriliter procurare. Ceterum dolemus, quod pecunia ratae veſtrae pro ſtipendiis Anglicorum adhuc ſolvi non feciſtis, ſed quod tenemini, & quod pluries nobis tum literis tum vivae vocis officio deſpondiſtis; & ob id ne ex hac retardatione maiori cauſſae praeiudicium generetur vos affectuoſiſſime deprecamur, quatenus faciatis ſine iactura temporis, illi, cui alias vobis ſcripſimus, huiuſmodi pecuniam numerari. Datum Florentiae die VI. Auguſti XV. Indictione MCCCLXXVII.

(1) Tunc enim plures exercitus duces ſub Florentinorum ſtipendiis militabant; nam Comes *Lutius* in Patrimonium; *Henricus Paer* in agrum Senenſem; *Ioannes Aucut* nunc huc, nunc illuc, ubi neceſſitas poſtulabat, ſuos milites ducebant.

XLV.

SENENSIBUS.

FRatres cariſſimi. Sicut pridie Oratoribus veſtris diximus, quod tunc non poteramus iuxta veſtras requiſitiones de gentibus ſubvenire; ſed avidi vobis ad poſſe in hoc & in aliis omnibus complacere: ecce curavimus, dimiſſis aliis locis, in quibus nemo militabat, Dominum Henricum Paer cum centum lanceis deſtinare, quas poteritis ubicumque periculum immineret traſmittere, & fines veſtros ab ingruentibus periculis praeſervare. Ceterum dignemini Fratres cariſſimi ratam contingentem Comuni veſtro de Anglicorum ſtipendio ſine ulterioris morae diſpendio ſolvere, ut ipſorum opera poſſit tota Liga ſuam ſalutem, non deficiente pecunia, procurare. Datum Florentiae die VI. Auguſti XV. Indict. MCCCLXXVII.

CO-

XLVI.

COMITI ANTONIO (1) DE MONTE FERETRO.

MAgnifice Domine, Frater, & Amice cariſſime. Propter ſingularem affectionem, quam ad nobilitatem veſtram habemus, & quam vos credimus per effectum operis deprehendiſſe, non minus diſplicibilis eſt nobis quam vobis (2) Germani veſtri detentio, nec minus quam vos ipſum cupimus liberari. Sed quoniam quaecumque mortales agunt ad certum reſpectum neceſſario diriguntur, ſaepe contingit, quod quae maxime deſideramus & volumus ex conſideratione alterius rei, deliberatione conſultiſſima, devitamus. Heinc eſt, quod quum ſentiamus multa cum inſtantia procurari, quod vos pro-

G 2

(1) Erat Urbini Princeps, & idem ipſe eſt qui anno MCCCLXXXVI. a Florentinis crudeli bello laceſſitus, veluti tributarium Florentiae ſe fecit.

(2) Forſitan eſt Comes *Nicolaus* qui anno MCCCLXII. cum *Hugolino Sabatinio* Bononienſi, & cum *Marcolfo Roſſio* Ariminenſi in Piſano bello Florentini exercitus duces erant; & ob ſtipendia eis non ſoluta turbas concitarant, & plures congregarunt milites, qui relicta militari diſciplina, latronum inſtar, praedis & rapinis vivere conſueverunt; & veluti quodam exercitu inſtructo, gradiebantur ſub *Pilei* vexillo; ideoque vulgo vocabatur hic exercitus. *La Compagnia del Cappelletto.*

pro Germano veſtro magnificum militem Dominum Brancam de Salamonis de Civitate Caſtelli debeatis libere relaxare, quamvis eiuſdem Domini Branchae liberationem, tamquam de ſingulariſſimo noſtri Comunis filio cupiamus, & pro quo recordati poteſtis nos, & per literas, & per oratores ſpeciales, apud vos efficaciter adſtitiſſe, tamen cogitantes hanc machinationem ab hoſtibus cogitatam, non per affectionem quam habeant ad eundem Dominum Brancam, ſed ſolum ut aliquam viam parent ponendi veſtrum & totius patriae ſtatum, veneficis fraudibus in ruinam, vos affectuoſiſſime deprecamur, fraternis nihilominus affectibus exhortantes, quatenus ab huiuſmodi ſuſpectis colloquiis & periculoſis tractatibus deſiſtatis. Sint vobis merito ſubſpecta beneficia Clericorum, nec ulla putetis dona carere dolis, ſed timeatis (1) Clericos & dona ferentes. Numquam enim hoſti credere tutum fuit; aliquae, credite nobis, latent inſidiae; quum videatis veſtros & totius Italici ſanguinis inimicos duorum Italicorum liberationem tanto opere, tantoque ſtudio procurare. Quam non carere periculo certiſſime ſcimus, & unde veritatem habere conſuevimus, intelleximus iam eſt diu. Quicquid id ſit, timendum eſſe cenſemus, & nullo modo putamus utile vel ſecurum hoſtium publicorum clandeſtinis conſiliis conſen-

(1) Odio vel livore quodam exagitatus in haec prorumpit *Colucius*, quum apud quoſdam certum indubitatumque ſit, Imperium Clericorum eſſe in omnibus partibus minus grave, ideoque ſubditis dulciſſimum ac ſuaviſſimum videri.

ſentire. Caveatis ne fraterna iſta liberatio principium eſſe poſſit miſerrimae ſervitutis, neo deſperetis aliis viis & aliis modis poſſe relaxationem veſtri fratris ſine motu alicuius periculi provenire. Hoc erit acre nobis, & per Dei gratiam taliter providebimus, quod aliunde quam ex beneficio Eccleſiaſticorum huiuſmodi liberatio ſubſequetur. Non gravetur itaque veſtra nobilitas, hoc onus, quodcumque eſt, reſpectu maioris boni, felicioris eventus, & evitationis manifeſti periculi ſubportare. Datum Florentiae die VII. Auguſti XV. Indict. MCCCLXXVII.

XLVII.

DOMINO GUIDONI (1) DE POLENTA.

Magnifice Domine, Frater cariſſime. Recepimus literas veſtras ad alias noſtras, quas pridie vobis ſcripſimus reſponſivas, quibus damna vobis illata per gentes Anglicorum lamentabiliter recenſetis. Nos autem quantum ad hoc pertinet ſcribere non poſſemus, quantum haec invaſio noſtras mentes, & omnes noſtros ſpiritus perturbavit. Et eo maxime quod videmus per ipſas literas vos putare Dominos (2) Forolivii haec contra vos, & ſta-

(1) Idem ipſe eſt, cui contigit taxatio MCC. Florenorum, ut videre eſt pag. 84. & ag. 85.

(2) Familia *Ordelaffiorum* inter Forolivienſes tunc tem-

ſtatum veſtrum noſtra promiſſione ſicut ſcribitis ordinaſſe; de quo plurimum admiramur. Nec cogitare volumus unde iſta ſubſpicio potuerit in veſtram mentem tam irrationabiliter incidiſſe. Scimus etenim, Frater cariſſime, quod pluribus diebus elapſis apud nos veſtro nomine, Tommaſio (1) Ruffoli conquerente, de inſultatione facta per gentes dictorum Dominorum apud caſtrum Ruſſi. Nos pluries, & repetitis literis ſcripſimus Domino Forolivii acerrime conquerendo motam fuiſſe contra vos huiuſmodi novitatem, & eidem & noſtris gentibus vetuimus, ne contra veſtrum territorium auderent aliquid noxium adtentare. Quod idem Dominus caput ſe facturum, & pariturum noſtris rogationibus nobis ſuis literis intimavit. Nec poſtquam hoc bellum incoepit aliquid umquam nobis in noſtris ſenſibus moleſtius factum fuit. De quo Domino Ioanni Haucud & Domino Sinibaldo tanta ſcripſimus acrimonia, quanta vos ipſi vix, ſi pennam noſtram haberetis in manibus, feciſſetis. Et non contenti literis, ut etiam in hoc magnifici Fratris noſtri Domini Bernabovis autoritas adderetur; nobilem virum Roggerium (2) Canis eiuſdem

temporis facile princeps, Forolivii dominium uſurpaverat, & Florentinorum partibus adhaerebat.

(1) Familia *Ruffoli* non erat parvi nominis in civitate Florentiae; nam primus, qui Vexilliferi inſigna, Florentiae coepit erat ex *Ruffolorum* gente.

(2) Erat hic Domini Bernabovis Familiaris, & idem ipſe eſt, qui anno MCCCLXXXIIII. cum Domino de *Concis* vulgo *Conciaco* in Regnum deſcen-

ſdem Domini collateralem, fecimus ad illas gentes Anglicas proficiſci, ut turbationem noſtram oſtenderet, & eoſdem a veſtris offenſionibus revocaret; ut manifeſte poſſitis advertere haec nedum non permiſſione noſtra, ſed contra noſtros animos penitus proceſſiſſe.

Verum, Frater optime, quoniam quae facta ſunt, ſicut reprhendi facile poſſunt, ita noſcitur impoſſibile in ſtatum priſtinum relocare, nobilitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus ſicut laudabiliter incoepiſtis ab omni novitate contra eoſdem dominos abſtinendo, ita in poſterum in eiuſdem propoſiti perſeverantia faciatis. Magnanimi quidem eſt, iniurias, non ſolum armis, ſed & beneficiis propulſare, & offenſiones ſuas benigniſſime condonare; ex quo conſueverunt offendentes non ſolum animum hoſtilem deponere, ſed taliter remittentibus pluſquam fraternis animis obligari. Nos autem, quoniam, ſicut audivimus, idem Dominus Sinibaldus (1) eſt ad noſtram praeſentiam adceſſurus, ut vobiſcum amicabiliter ſe habeat totis viribus adnitemur. Datum Florentiae die primo Septembris MCCCLXXVII. Indict. XV.

ſcendens ad auxilia ferenda Andegavenſium Duci, qui cum Rege Carolo dimicabat, pro Neapolitano Regno occupando, Arretium nocturno tempore ingreditur, eamque urbem devaſtans, nomine Andegavenſium Ducis excurrit, conſentiente Carolo a Petramala, imo eius urbis ingreſſum aperiente, ut videre eſt apud *Admiratum Flor. Hiſtor. Lib. XV.*

(1) Eſt *Sinibaldus Ordelaffius* Forolivienſis Eques, qui, ob res bene geſtas, creatus fuit cum omnibus eius nepotibus civis Florentinus hoc ipſo anno.

XLVIII.

ARRETINIS.

AMici Cariſſimi. Recepimus literas veſtras, quibus prudentia veſtra nobis inſinuat, paſtorem veſtrum (1), qui ſe in depaſtorem veſtrae libertatis ambitione tyrannica convertebat ſponte dixiſſe, ſe mutationem veſtri Status, & ſubiugationem civitatis peſtiferis conatibus attentaſſe. Ex quo perfidiae crudeliſſimo fomite, nonne videtis aquas oportere cladificas derivare? Et ob id, amici cariſſimi, curate acerrima indagine quod veritas eruatur, quod enucleetur tota peſtis, quae adhuc tenebrarum obtecta caligine, niſi comprimatur, poſſet mergere. Expiandum eſt totum hoc fermentum, ne tota maſſa, ſi negligentiores fueritis, corrumpatur. Conamini, tanti, & tam periculoſi caſus cunctas excoperire radices, detectas evellere, & evulſas, ne adhuc convaleſcant, intendite. Phyſicum eſt, quod quae reliquuntur in morbo poſt criſim, ſubcenſionem facere conſueverunt. Non ſufficit reperiſſe morbum, non cauſſam morbi quamvis ſubtiliter agnoviſſe. Exſtirpanda omnia ſunt, unde morbi corruptio procedebat. Si morbum curare vultis, ſi deſideratis reſtitui plene ſine recidivationis periculo ſanitati, ſcindite radicalem morbi cauſſam, & adiacentes tanti monſtri radices & plantulas undique conculcate. Nolite veſtro pe-

(1) Forſan eſt *Buoſus* ex *Ubertinorum* familia.

periculo miſericordes eſſe. Sanitate dignus non eſt, qui curat morbi cauſſas in ſuum exitium conſervare. Scitis quam ſalutem mereatur, qui publicae ſaluti cunctorum tam diras inſidias inſtruebat. Uni quondam Caeſarum dictum fuit a quondam Senatore, qui ſe dolebat non ſecundum dignitatem Senatoriam honorari. Vide, Caeſar, non te habebo, nec cognoſcam Imperatorem, niſi me cognoveris Senatorem. Clare videtis quo pergat exemplum. Nolite in patrem habere qui vos in filios noluerit. Gentem quam dimicti penes vos petitis, ut hoſtibus reſiſtatur ut tam a vobis quam a nobis periculum elongetur, continuo decrevimus equitate. Vobis autem poſtquam revelato tractatu tanti periculi Deus vos poſuit & locavit in tuto, ipſarum gentium progreſſio uſque Peruſium & illuc ubi praeparatur reſiſtentia non ſit gravis. Datum Florentiae VIII. Septembris XV. Indict. MCCCLXXVII.

IL.

ARRETINIS. (1)

AMici cariſſimi. Non ſine cauſſa hodie per alias noſtras literas vos ad ultionem tanti Flagitii, quantum in veſtram & totius Tuſciae ruinam perfide tractabatur, fuimus opportunis rationibus exhortati. Nihil enim eſt quod

(1) Colligitur ex hac Epiſtola Arretinos pecunia tantum mulctaſſe eum, quem Paſtorem vocat, quique contra patriam conſpiraverat.

quod magis alat facinora, & quod perditis hominibus maiorem praeſtet audaciam, quam impunitas delictorum. Quae quantumcumque poſſit aliquando certis reſpectibus tolerari, in Patriae tamen audaciſſimos Parricidas, periculo magno, permittitur, quum per eam reliquorum animus ad conſumationem iam concepti ſceleris excitetur. Nunc autem, quod non ſine ingenti dolore percepimus, tam deteſtandi criminis autor & princeps de mediis carceribus & catenis quibus tenebatur, aut teneri debebat, evaſit. O mira coecitas, o dominabilis, & abominanda mentis ignavia! Publicum hoſtem & omnium veſtrum, quantum in ipſo fuit teterrimum homicidam, captum, ligatum, & clauſum tanta temeritate dimittere, aut ſuae cuſtodiae & obſervationi ſalubri conſilio nullatenus providiſſe? Videmus, Amici cariſſimi, apud vos magno damno priori exemplo, maximoque periculo iuſtitiam negligi, ſine qua nec continentur Familiae, nec durant caſtra, nec perſeverant civitates, nec regna poſſunt quantumcumque maxima conſervari. Ecce monſtrum illud evaſerat. Quid fuit a iugulo eius qui tanti delicti fuerat autor & conſcius paratam removere ſecurim? Eſtne tantae conſpirationis facinus pecuniarum poena plectendum? Quae leges, qui mores, quae conſuetudines non inſequuntur ultima poena ſupplicii tam diros patriae proditores? De hoc igitur, Amici cariſſimi, vobiſcum totis affectibus condolemus. Extinguitis in tam immanis vindicatione flagitii lumen iuſtitiae, ſine qua mundus ipſe, & omnis hominum congregatio, tenebrae, confuſio, & horrendum

dum chaos poſſint merito reputari, & ad conſervationem veſtrae libertatis & ſtatus ſolum in noſtris ſubſidiis ſpem ponentes vos ipſos negligitis & vires aliquas congegare etiam in ultimo periculo non curatis. Parcite, quaeſumus, ſi pungentius ſcribimus; Sic enim cum amico faciendum eſt. Utilius enim eſt pungendo Amicum in viam rectam dirigere, quam ipſum blanditiarum dulcedine in ſui ſtatus ruinam & exitium adiuvare. Expergiſcimini itaque, & iuſtitiam a qua ſola ſalus veſtra dependet ardentiſſime colite, & vobis, ut ſitis muniti ac fortes in his & aliis periculis, quae quotidie poſſunt emergere, providete. Datum Florentiae die VIII. Septembris XV. Indict.

L.

DOMINO IOANNI (1) HAUCUD.

Magnifice & egregie miles, Amice cariſſime. Audivimus hoſtium copias vobis & veſtro felici atque invicto exercitui propinquaſſe, ipſoſque intelleximus modis omnibus conaturos, ut bellando vobiſcum fortunae atque martis tentent eventum. Quod non fiducia ſui conantur, utpote qui equis, armis, numero, commeatibus, & reliquis neceſſariis ſe vobis inferiores eſſe cognoſcant, ſed ut deſperan-

(1) Hac Epiſtola hortatur Dominum *Ioannem Haucud*, ne pugnam cum hoſtibus incundo in ſummo diſcrimine ponat res confoederatorum.

rando pughent, & pugnando experiantur, ſi fortuna voluerit, eiſdem victoriam exhibere. Cum quibus manum conferre, ſicut periculum eſt, quoniam varius eſt eventus belli, & nunc hunc, nunc illum conſumit gladius, ſic utile conſilium reputamus eiſdem pugnandi copiam nullatenus fieri. Scimus, Amice cariſſime, gentes veſtras multarum victoriarum memores iniquis animis & impatientiſſime tolerare, hoſtem tam propinquum ſine congreſſu pugnatili circumferri, & impune coram ipſorum oculis agros undique circuire; ipſoſque pugnam totis animis fremere. Sed veſtrae virtutis & prudentiae erit eos in impetu animorum excandeſcentium continere. Illos fames, ignominia, & omnium rerum egeſtas in certamen praecipitat; forte contentos potius pugnando more virorum occumbere, quam vitam cum tanta ſui nominis infamia protrahere. Vos autem ſinite iſtum furorem & impetum aliquamto tepeſcere: effluet tam temeraria infra dies paucos audacia, & aſcurſoriis aliquando congreſſionibus fracti in deſperationem viſtoriae, ſi detur plenae pugnae copia deducentur. Tunc tempus erit in ipſos irruere, quum hunc calorem certandi videritis friguiſſe. Tunc plane maximo cum timore conſternati, attonitique verebuntur, quum in ſe viderint alacres pugnatorum acies explicari, & terribili claſſicorum ſonitu contra ſe infeſta ſigna converti. Ante tempus autem non vos impellat ad pugnam hoſtium paucitas. Sola temeritas hoſtium, qui ſe in locum iniquum ſtulte congeſſerint pugnam debet exercituum ducibus perſuadere. Non enim in multitudine

bel-

bellatorum, ſed poſt Deum, in ordine, loco, tempore, peritiaque pugnandi cognoſcitur eſſe victoria. Sed quid vos literis admonemus? Quid vos confidimus eſſe facturos? Iam enim videre videmur vos hoſtium proterviam, calliditatem, & audaciam molliturum, eliſurum, atque fracturum; & cognoſcent cum quo Duce, & cum quali exercitu bellum gerant. Sed quoniam cunctando videmus ſine ſudore & ſanguine in manibus eſſe victoriam & hoſtem diſſerendo penitus effluxurum, & hunc belligerandi modum ſine periculo tutum fore; voluimus haec ad veſtrae nobilitatis memoriam reduxiſſe, ut etiam quid ſentiamus circa hanc materiam cognoſcatis. Vos autem cuius virtus quanta ſit plurima experimentorum argumenta demonſtrant, & in cuius oculis haec geruntur, cuncta prout ad victoriam pertinere crediderítis ſolita prudentia diſponetis, & tanto cautius, tantoque prudentius, quanto magis ad hoc ſalutem noſtram, & honoris ac nominis veſtri gloriam cognoſcitis dependere. Datum Florentiae die XI. Septembris XV. Indictione MCCCLXXVII. Si videritis hoſtes verſus territorium noſtrum forte converti, vos cum omni potentia tam celeriter, quam per tramites tutos & breviſſimos quo opportunum videritis, conemini properare. Datum &c.

LI.

IODOTO MARCHIONI BRANDEBURGENSI DOMINO MARCHIONIQUE MORAVIAE.

Linus Colucius Salutatus.

NIhil totius mortalis meae vitae curriculo, quamvis iam ſexageſimum & ſextum annum attigerim, Illuſtriſſime Princeps, & magnificentiſſime Domine, maiore mentis amaritudine me commovit, pungentioreque doloris vulnere me transfixit, ſive publicum, ſive privatum fuerit, quam illud (proh dolor!) deteſtabile ſciſma monſtruoſumque prodigium quod in Eccleſia Dei videmus; quodque tantam, talemque ſciſſuram, ah ſcelus, ah pudor! fecit in inconſutili tunica Salvatoris, quam gentiles milites ſic in Dominica Paſſione ſibi ſimul cum aliis veſtibus diviſerunt; quae iuxta Prophaetarum antedicta, ſcripturaeque Evangelicae Teſtimonium, cuinam contingere deberet integra, dimiſſo ſectionis propoſito ſortiti ſunt; tantam inquam talemque ſciſſuram fecit in inconſutili tunica Salvatoris, quantam & qualem videmus in Populo Chriſtiano. Heu dolor, heu pietas! Huccine proceſſiſſe Cardinalium errorem, vel ambitionem, ut poſt electum ſummum Pontificem, quamvis in illo diabolico populi Romani tumultu, quem vere Diabolus excitavit, poſt eiuſdem electi conſecrationem, coronationis, inthro-

thronizationiſque ſolemnia non tumultuante, ſed pacifico plaudenteque Populo libere per ipſos, & eorum nomine celebrata; damnando, quod prius fecerant; alium aſſumendo Pontificem, Sacroſanctam Eccleſiam bicipitem reddiderunt, & tanta cum abominatione diviſerunt Populum Chriſtianum. Quis conſtituit eos iudices, ut eorum ſit de pontificalis electionis vitio iudicare? An electionis huius autores, teſtes & iudices eſſe poſſunt? & cuius eſt de propriis actionibus iudicare? Quis in teſtem eorum, quae geſſerit, ſi de alicuius, quem impugnet agatur praeiudicio debet audiri? Quod ſi fuerat, ut adſerunt, in electione vitium; cur univerſum orbem publicis, & privatis litteris impleverunt, mundi Principibus atque Populis nuntiantes canonicam electionem Urbani? Cur ſibi non ſemel, ſed multoties collegialiter adſtiterunt? Cur eius ordinatione ſuarum mutaverunt titulos dignitatum, quos etiam cum Clementem eligerent tenuerunt? Cur non potius in animum induxerunt ſuum puro conſenſu iuſtificare iam electum, ſi qua forſan purificatione videbant opus eſſe; & unius hominis tolerare mores, & vitam, quam certiſſimum ſciſma ſcienter inducere in unica Sponſa Chriſti? Quis non credat eos non conſcientia motos, ſed vel odio nominis Italici, vel ſtudio propriae nationis, vel Summi Pontificatus ambitione, dum quilibet illum ſibi poſſe contingere blandiebatur, ut a primo diſcederent, alterumque crearent? An ſibimet ſecum cogitantes perſuadebant ad ipſorum mutationem adeo facile mundi Principes, & Populos ſe mutare? An ignorabant, quam diffici-

ficile ſit aliquod perſuadere contrarium perſuaſis? Quis non videt hunc errorem ſupinum, & craſſum de nimia ſuimet, non fiducia, ſed confidentia, ne dicam malignitate, vel ſuperbia, proceſſiſſe? Antequam Urbanus ut erat natura ſeverior incepit illos reprehendendo mordere, cuncta tacebant. Verus erat Pontifex; Verus Chriſti Vicarius, & adeo vere, quod impetrare gratias Spirituales, & abſolutiones in mortis articulo, completaque ſuper hoc habere privilegia quilibet conaretur. Poſtquam autem ſe maiorem illis incepit oſtendere; vitioſa fuit electio, non libere facta, ſed per metum extorta, quoniam non potuerint in illo tumultu, quo nullus ſingulariter petebatur, liberrime quemquam eligere, vel ſi viri fortes fuiſſent potuerint illas contemnere minas, & ſe ad liberi temporis facultatem forti propoſito, optimo quam conſilio reſervare. Sed fecerint illi de ſe, quod libuit, cur autem ad ea, quae dirimere non valebant? Eſt equidem iſta cognitionis facultas ſolius Dei, ſicut ſtatuit Anacletus, quod fecerant condemnantes contra ius eius, quem impugnabant, manum temere poſuerunt? Talia quidem ſunt, de quibus etiam teſtes idonei contra tot praecedentes ipſorum et adteſtationes litterarum, & actuum publicorum, nedum ſponte ſe offerentes, ſed etiam compulſi non debeant reputari. Nec autumet aliquis, quod iſta congeſſerim, ſecundi, quem elegerunt, cauſſam comdemnando. Non ſum tam temerarius, vel tam excors quod iſta determinare praeſumam, vel alterius alicuius Partis iuſtitiam adſerere, vel damnare. Scio quidem in electione Prioris non de-

deſuiſſe tumultum. Violentae praeſumtionis inſtar, eſt veriſimile, non eſſe tot Cardinales Gallicae nationis in quemvis Italicum de Pontificatus apice libere conſenſiſſe. Quo fit, ut credibile ſatis ſit, ipſos metu potius, quam libera voluntate talis electionis negotium expediſſe, prorſus alias non facturos. Nec credam inſuper tot prudentiſſimos viros propriae ſalutis immemores in damnationem animarum ſuarum ſponte ruere, totque Principibus atque populis eis credentibus tam gravis erroris materiam exhibere. Sed haec dimittamus: Sunt enim denſiſſimis oppleta tenebris, quam veritas facti latet in metibus electorum, de quo ius, quod oportet quaerere, ſine dubio noſcitur provenire. Non enim uſquequaque clarum eſt, quod dicitur, Urbanum per tumultum populi Romani, vel Romanum, vel ſaltem Italicum acclamantis electum, ut eodem, ut adſtruitur metu durante inthronizatum Apoſtolicae Sedi iuxta Nicolai Papae decretum non apoſtolicum, ſed apoſtaticum exſtitiſſe. Quandoquidem etiam ſi nominatim ipſum furens ille populus popoſciſſet, liberis, & inclinatis mentibus potuiſſet ab electoribus nominari, & in Summum Pontificem libere ſine quocumque clamantis Populi reſpectu, vel metu, quicquid coniectantium imaginatio ſibi perſuadere poſſit, aut velit, adſumi: Ex quo non eſt ratum illud violentiſſimum argumentum: electus fuit Urbanus, non libere, ſed per metum, populo Romano fremente vel Italicum, vel Romanum. Quoniam an metus fuerit illius electionis cauſſa, licet forte dici poſſit, negocium non eſt clarum, ſed in eligentium men-

 tibus

tibus conſepultum. Circa quod ſecretum, ſi praeſupponatur liberum non adfuiſſe conſenſum, tot ſtant litterae, non collegiales ſolum, quas metus potuit extorquere, ſed privatae, liberaque voluntate conceptae, non a multis ſolum, ſed forſan ab omnibus Cardinalibus ad multos, & forſitan ad omnes Chriſtianorum Principes, & aliquos Populos deſtinatae, quod uſquequaque non poſſit id, quod praeſupponitur, demonſtrari. Stant, & tam publica Conſiſtoria, quam privata, quibus iidem ad illa, quae non poſſunt niſi per veros Summos Pontifices explicari, non ſemel, ſed multotiens, adſtiterunt. Stant, & infinitae gratiae titulorumque nunquam dimiſſorum commutationes, quamquam ſonabant in maius, & quae, ſicut per alios, quam per Papam concedi nequeunt, ſic etiam nec mutari. Ut quid credere debeamus praeterita praeſentibus conferentes adeo dubium ſit, quod tutius eſt aſſenſum omnino ſuſpendere, quam in aliquam partium declinare. Nam, & quod aiunt. Quoniam Urbanus ſciens ſe per metum, & popularem tumultum electum vitioſam electionem acceptavit, nec unquam illi renuntiare conſenſit, apoſtaticus factus eſt, in haereſim incidit: nunc autem ſicut haereticus eligi nequit in Papam, & deponi debet electus; ſic nec conſecrari. Et ſicut nec conſecrari, ſic nec etiam coronari; & ſicut non coronari, ſic non ſtatui ſuper thronum. Nam quod prius aſſumitur a quo cetera pendent non eſt clarum. Et cum aliud ſit longeque differat per tumultum eligi vel in tumultu, quumque licet hoc clarum ſit, illud omnino non pateat, deficit omnino vis

omnis

omnis illius argumenti. Nam tumultuationis illius formido, quum certum ſit ipſos nedum elegiſſe priusquam Populus clauſtra Conclavis irruperit, ſed ad ſe vocaſſe iam electum, vel forſitan eligendum, & omnino conſtet irruptionem illam poſt electionem celebratam exſtitiſſe, non ante, quam effracto Conclavi, cuncti Cardinales alius alio fugientes, ſe vel in Caſtrum Creſcentii, ſive Molis Hadriani, quae propter Gregorianum miraculum, Caſtrum Sancti Angeli dicebatur, loco munitiſſimo, vel ad alia loca tutiſſima reduxerunt. Talis vis dici debeat, quae caderet in conſtantem, ego non video. Quoniam illi clamores viros fortes nullatenus terruiſſent, & intacto Conclavi iam fuerat electio celebrata, quod etiam ex eo palam eſt, quod poſt irruptionem, effractionemque praedictam talis fuit illa turbatio, quod omnino nullus Cardinalium, vel ſervitorum adſtantium caeſus fuerit. Sed incumbentibus cunctis ſpoliis, non perſonis; quaerentibusque non caedes, & ſanguinem, ſed rapinam, & praedam, prorſus omnes incolumes receſſerunt. Inter haec ne metus eſſe debuit, quod caderet in conſtantem? Et an apud Eccleſiae Principes talis, tantusque metus eſſe poteſt? Immineat licet gladius iugulo, qui viros conſtantes moveat, & tam perículoſo mendacio, & tanti temporis perſeverantia tam multis, & evidentibus actibus adorando pro Summo Pontifice Chriſtique Vicario toti mundo debeant exhibere, quem ſciverint canonice non electum? Mortui ſunt aliqui Praelatorum, mundique Principibus non armatis ſolummodo, ſed furentibus reſtiterunt pro ſuae Eccleſiae liberta-

te , nobiſque temporalibus defendendis , & vos in re tanti periculi , quaeve fuerat non temporalia ſolum , ſed ſpiritualia turbatura , tam effeminatos , & pavidos praebuiſtis , quod nullus, quum in locis tutiſſimis eſſetis , & unde potius aliis timorem incutere poteratis , quam deſeretis metus illius perſeverantiam exhibere, hanc patefecerit veritatem . Cur non de locis illis, quum fervebant ipſa principia , quiſquam veſtrum veritatem , quam poſt tot diſſimulationes , & actus contrarios praetendiſtis auribus etiam audire volentium intonuit , & ingeſſit? Sed haec omittamus : deplorari quidem poſſunt, & reprehendi ; non corrigi . Conſideremus autem ſtatum rerum , & lacrimabilem Gregis Dominici conditionem nobis ante mentis oculos proponamus. Vidimus atque videmus duo capita in unica Sponſa Chriſti. Videmus regna ſciſſa , ut hos Urbaniſtas , illos Clementinos dicere valeamus. Heinc Germania, Britania, quam Angliam vocant , atque Pannonia recognoſcit Urbanum . Inde Galliarum univerſi fines , & omnis Hiſpania ſe determinavit , tulitque ſententiam per Clementem : Miſerrime vero Italia etiam in haec duo capita ſciſſa eſt . Nec pure tamen omnes , ſicut primae ſunt nationes, Pontificibus ſuis inhaerent. Nam & Gallicorum, & Hiſpanorum aliqui credunt Urbano, Germanicique Clementi , eoque res deducta eſt , ut quilibet illi crediturus eſſe videatur a quo plus emolumenti receperit , & honoris . Quilibet avaritiae , & ambitioni ſtudet . Dei timor , & conſcientiae rectitudo proſtrata iacet , cuius apud mortales tam facilis eſt iactura , quam

cu-

cura. Nec hucuſque cordi fuit, haec abominatio Principibus orbis terrae. Sic quondam iam ferme ad quintum ſeculum etiam contingit, quum a Pontifice Romano deſcivit univerſa ferme Grecia, cui ſciſſurae nunquam diligentia fuit redintegrationis remedium adhibere. Nunc autem Deo laus, qui iudicare velle videtur Eccleſiam Sanctam ſuam, & diſcernere cauſſam eius de gente non ſancta, eamque ab homine iniquo, & doloſo liberare, poſtquam vos, & alii Romani imperii Proceres, quorum eſt ita tractare, ad hoc ſciſma tollendum videmini conveniſſe. Honorabile quidem eſt velle, quod Caeſar conſecrationis ſuſcipiat munus, & triplicis Coronae decus induat, quo ſeculare Chriſtianorum caput, completa refulgeat dignitate. Sed ſuper omnem honorem eſt, curare vulnera, coniungereque ſciſſuram, quam in Sanctae Matris Eccleſiae corpore ſciſma fecit. Nolite pati, quod ulterius iſta diviſio nutriatur. Heu me miſerum, quum ſentiam me concordem in Chriſto cum Gallicis, & Hiſpanis, & aliis quibuſcumque, qui credidere Clementi ſuo, quod reverentiam exhibent ſucceſſori; diſſentiamne cum eis de Vicario Ieſu Chriſti? Et quam abominabile ſit, quod viciſſim illi nos, nos illos ſciſmaticos appellemus? Integra nobis, & illis petra eſt, quae quidem eſt Chriſtus. Cur non integri ſumus in Petro, qui Vicarius eſt Chriſti? Ergo dicam audacter; propter duos homines, & quum ad veritatem venerimus; duos quamvis venerabiles Sacerdotes, univerſus Chriſtianitatis orbis, tot Principes, tot Populi, tot gentes pertinaci, ne dicam perpetua, ſectione deſciſcent?

& illi patientibus, imo faventibus vobis, & aliis, fecerintne de Eccleſiae Romanae rectitudine flexum arcum, & ſedentes in cornuis, pondere ſuo, non ſinent curvitatem, quam cernimus adaequari? O dedecus orbis, o pudor omnium, o culpa inexpiabilis Principum, & ſimplicitas Populorum. Quid iam ad annum pene vigeſimum toleraſti? Cur negligitis rem tanti ponderis, & quae divina, & humana, niſi ponatur remedium, debeat permiſcere? Potens eſt iſta diviſio, quandocumque veniretur ad arma, regna transferre, totum Chriſtianitatis Corpus contendendo diſcerpere, cunctaque turbatione funerea peſſundare. Nolite pati Gentilibus, & Saracenis, qui tanto de ſuo Maumetto tenentur errore, ſemperque Chriſtianis infeſti ſunt, gregem Dominicum eſſe ludibrio. Videtis Teucros, ſic enim adpellare potius libet, quam Turquos; poſtquam apud Teucriam dominantur, licet fama ſit, ipſos a monte Caucaſo deſcendiſſe; videtis, inquam, Teucros ferociſſimum genus hominum quam alte praeſumant. Nolite, quod tango, negligere. Confidunt, & credunt Chriſti nomen per univerſum orbem delere. Eſſeque dicunt in fatis ſuis, ut Italiam vaſtent, & uſque civitatem diviſam flumine, quam Romam interpretantur, venientes, omnia ferro ignique conſument. Mirum in modum Principes ipſorum gentes ſuas ad bella nutriunt; decem, vel duodecim annorum pueros ad militiam rapiunt; venationibus, & laboribus aſſuefaciunt, atque durant; ad currendum, exiliendumque quotidiana doctrina, & experientia ſtrenuos reddunt. Cibis groſſiſſimis, paneque ſolido, nigro, mul-

multiſque permixto frugibus paſcunt. Quod delicatius comedunt, ſudore venationis acquirunt. Denique taliter inſtituti ſunt, quod unica veſte ſoloque pane contenti vivant. Mirum in modum patientes frigoris, & caloris, imbres, & nives, & alias aeris furentis iniurias pileo tecti, nec non & nudo capite, quum opus fuerit, ſine querela ſuſcipiunt: lectus eis nuda tellus, & quum vinum ignorent, radicibus herbarum plerumque vivunt. Quibus artibus inſtituti, fortiſſimi corporis, ac agiles, & ſtrenui pro ludo, & quiete militantes arma ſuſcipiunt, cunctarum neceſſitatum, cibationis, & victus, quas ceteri nimis exhorrent, non patientes ſolummodo, ſed fruentes. Addunt praeterea religionis ſuae doctrinam, qua docentur, mori pro Domino vel lege ſua, non glorioſum ſolummodo viventium in oculis eſſe, ſed fore glorioſiſſimum apud Deum, ad quem nulla certiore via poſſint, nullaque compendioſiore redire. Non enim uſque adeo barbari ſunt, quod Deum eſſe non credant, quod aliam eſſe vitam, & gloriam non arbitrentur, ſed certum habent fore, quod pugnantes pro Domino ſuo, vel lege ſua, perpetua recipiantur in gloria. Quod tanto firmius credunt, quanto ſimplicius, & ineruditius vivunt. Tantae vero ſunt obedientiae, quod nihil ſupra valeat cogitari. Arma, quae gravent ipſos, ſpernunt. Agilitate, multitudine, & obedientia confidunt, qua, ſimulac iuſſum fuit, vel pedem referunt, vel in hoſtes impetum faciunt. Modo diſſipantur, ut victos credas, moxque conglobantur, & coeunt, & redeuntes in aciem, pugnam vel incipiunt,

vel restituunt. Nemo vafrius eis novit insidias, metum fingere, & hostes suos variis diſſimulationibus ludificari. Credite mihi, genus hoc hominum, quorum; quum mores, vitam, & instituta percipio, fortiſſimorum Romanorum ritum consuetudinemque recordor; niſi Deus obviet, niſi vos, & alii provideatis, ut expedit, maiora facient quam putetis. Nos autem Christiani, traditi luxui, & inertiae, luxuriae, & gulae intendimus in cute curanda plus aequo operata iuventus, ut Satiricus ait, & quod eſſe ſuper omnia pericula certum eſt, poſt duos homines; ſi tollatur dignitatum fulgor; neſcio quales remanſuri ſint, dividimus, & ambulamus, non ſolum cum iactura rerum temporalium, quam lacrimabilem, & avaritia, & nimia divitiarum admiratio facit, ſed in rerum ſpiritualium confuſionem, de quibus, corruptis moribus, & nimium tepeſcente fervore fidei, nimius, & abominabilis neglectus eſt. Nam ſi Papam vel heinc, vel inde legitimum non habemus, quod profecto fateri neceſſarium eſt, quis neſcit ex vitioſa parte veros Epiſcopos eſſe non poſſe, & per conſequens veros deficere Sacerdotes, veraque non habituros poſt aliquid temporis Sacramenta, quos contigerit partem vitioſam eſſe ſequutos? Licet enim clericalis caracter ſic ſemel tranſeat quod etiam per ſupervenientem haereſim non tollatur, quod adeo verum eſt, quod certum ſit haereticos iam publice condemnatos vera conficere Sacramenta; quae tamen iuriſdictionalia ſunt, propter haereſim pereunt ipſo iure. Ut forte probabile ſit adfirmare, credereque, quod poſt mortem felicis recordationis

Gre-

Gregorii undecimi nullus ex parte Pontificis electi per vitium nactus ſit Sacerdotii dignitatem, nec per illos Sacerdotes haberi poſſint legittime Sacramenta; utpote deficiente iuriſdictione ſacerdotia conferendi. Illi ergo qui fuerint obedientes non vero Pontifici, quamvis ſimpliciter, & conſcientia non corrupta, ſi in aliquem invaderint ordinatum ab Epiſcopis novis, adorantes hoſtiam, & calicem, non Chriſti Corpus, & Sanguinem, ſed illam puram Panis materiam, atque vini cum aqua mixta veluti quoddam idolum adorabunt: Et quid poteſt ſceleratius hoc ſciſmate, quidve magis abominabile cogitari? Quid Deo diſplicibilius eſſe poteſt? Quidque magis contrarium ſaluti, quam optare debemus, quam, quod non velle noſtrarum ſalutem animarum? Quid in hac ſocietate mortalium perniciofius? Quidve, quod magis debeat, & poſſit hoſtes Chriſti in Chriſtianitatis exitium animare? Expectabimuſne donec iſta contentio, proh dolor! accendatur in bellum? Vel uſquequo Teucrorum audacia, quam tam deflenda clade: me miſerum! experti ſumus, in Chriſtianos irruat, & moveatur? Serum erit reconciliationem quaerere, quum ad inteſtina, vel externa fuit arma perventum. Nolite, Chriſtianorum Principes, illum neceſſitatis articulum expectare. Nimio vobis, & toti Chriſtianitati pretio ſteterit iſte neglectus. Et licet ſperandum ſit, Deum ſuam Eccleſiam nullatenus relicturum, & pro redintegratione ſponſae ſuae favores eius nullo tempore defuturos: propenſius tamen haec ſpes honoranda eſt, quum filialis Dei timor, & fidei zelus, non humanae neceſſitatis metus, rem

tam

tam ſanctam, tam opportunam; tam honeſtam, tamque laudabilem inquirere perſuadebit. Nec deſunt legitimi tramites, quibus ad hoc valeat perveniri. Poſſunt equidem ambo Pontifices rerum ſtatu, & dignitatibus Praelatorum intactis, ſibi mutuo cedere, & alter alterum confirmando adminiſtrationes dividere, vel per obedientias, quae nunc ſunt, vel alia ſectione de qua faciIlime poſſent eſſe concordes, inſtituendo, quod nulli fiant, ni forſan amborum Pontificum accedente concordia, Cardinales; & quod altero moriente, alter totum, quem Deo placuerit eſſe ſuperſtitem, adminiſtret. Hanc viam ſaepe numero cogitans, non ineptam, non incongruam, neque ſine exemplo Eccleſiae primitivae fore duxi, quum poſt Petri martyrium, & nativitatem, ex inſtitutione Petri, & voluntate conſenſuque Romanae Eccleſiae aſſumptus Clemens fuerit, Linum tamen, & Cletum Epiſcopatum urbis Romae adminiſtrare permiſit, per quos etiam vivens Petrus plura fecit, quae ad Pontificatus dignitatem, & officium pertinebant. Quamvis apud Euſebium loquentem de temporibus illis ſcriptum ſit. Qua tempeſtate in Urbe Roma Clemens quoque poſt Paulum, & Petrum Pontificatum tenebat, ut illos epiſcopium iſtum, vobis Pontificium eodem tempore tenuiſſe in Urbe Roma manifeſtum ſit, regente Ierosolimitanam Eccleſiam, quae ſedes cum Anthiochena totum regebat Orientem, Iacobo Iuſto fratre Domini; quum Anthiochiae primus praeeſſet Evodius, cui legimus Ignatium ſucceſſiſſe. Nec moveat aliquem Pontificum aetas, ut iſta conditio videatur eſſe deterior illi parti, quae longaeviorem Pontificem habeat, quum ſaepiſ-

ſime

ſime videamus decrepitum Patrem filios iuvenes ſepelire; totuſque noſtrae vitae curſus obnoxius morti ſit. Filios omnes praemiſit Priamus, & Fortunatus Auguſtus, ſicut legimus, & teſtamentum conficiens, inquit: quoniam iniqua fortuna Caium, & Lucinum filios mihi eripuit, Tiberius Caeſar mihi ex parte dimidia, & ſextante haeres eſto. Vides ne quam aſtiter, atque clare glorioſus Princeps de fortuna propter filiorum interitum conqueratur? Conquerebatur, & Neſtor, fatorum ordinem apud Homerum, quando Corpus ardere filii videbat, miſeram ſupereſſe lacrimans ſenectutem. Sed quum haec cauſſa Dei ſit; ſperandum eſt, illum fore ſuperſtitem, quem ſupereſſe melius eſt in oculis ſuis. Audivi tamen tres alias vias per univerſitatem Pariſienſem mature, & prudentiſſime deſignatas. Unam videlicet Compromiſſi; quam, quidem impoſſibilem arbitror, quoniam impoſſibile ſit verum invenire, fidumque partibus, aequis affectibus mediatorem, & quoniam haec via mentes fidelium minime declararet. Altera via videtur eſſe Concilii, quam communiter omnes clamant. Sed ſub quo congregabitur hoc univerſale Concilium; ſub iſto, vel altero, vel utroque? Non video, quod fieri ſub uno poſſit; non video quod ſub duobus facere, laudabilem exitum poſſit habere. Fac enim utramque Partem cum ſuo Pontifice conveniſſe, perſtabit quaelibet in propoſito, & in ſummam venietur contentionem, & licet iudices praeponerentur non eſſent tamqiam extra Corpora Partium, inter quos vel eſſet pertinax, & indeterminanda contentio vel credi non poſſet heins vel inde

de-

deſuiſſe per colluſionem, & vitium de iudicando concordia. Sicque facillime poſſet error poſterior deterior eſſe priore. Denique tempus adeo longum ad congregationem exigitur, quod interim mille modis poſſet Concilii propoſitum impediri. Quis etiam inter Chriſticolas Concilio locum dabit, qui neutri Partium ſit ſuſpectus? Ut hanc viam certum ſit, nec aditum, nec exitum habituram. Cavendum eſt praeterea diligenter in hac cauſſa, ne dici poſſit, vel quomodolibet ſuſpicari, aliquid extorqueri per vim, concedi muneribus, vel per gratiam impetrari. Quod ut fiat, & clarum in oculis omnium ſicuti materia noſtra requirit, ſit; non ſufficit quod iſta non fiant, ſed neceſſarium eſt, quod habilitas ad illa deficiat, & facultas, quod nunquam eſſe poterit ſi capiatur via Concilii vel eligatur formula Compromiſſi. Uſque adeo quidem corrupti ſunt mores, & illa vere ſanctitatis integritas, quam de priſcis legimus, evanuit, & adeo fervet avaritiae rapacitas, & affectio lucri, quod vix poſſint etiam privatorum iudicia, vel publicarum rerum diſceptationes hoc ſuſpicionis ſcrupulo munda credi. Nimis enim verum eſt poeticum illud. Munera, crede mihi placant hominesque, Deoſque. Placatur donis Iuppiter ipſe datis. Et quod ego iuvenculus cecini. Non opus eſt illi digeſto, vel codice, pro quo Gratia venalis, vel clam declamitat aurum. Accedit ad haec, quod etiam ſi vera claraque iuſtitia redimatur, quum omnium cupiditas expleri non poſſit, quod qui nihil, vel minus aſſecuti ſunt, quod ſentiant, vel credant, ad alios eſſe delatum murmurant, clamant, & de-

tegen-

tegentes vitium nihil relinquunt ſuſpicione vacuum, vel ſincerum. Cui rei, & hoc calamitatis adiungitur, quod haec etiam ſi vera non ſint, cunctis faciliime perſuadentur. Et ſi quis adfuerit, de quo non poſſit corruptionis eſſe ſuſpicio deceptum credunt, & ſimplicitate ſua vix enim haec integritas citra puritatis ſimplicitatem reperiri poteſt mox praedicant circumventum. Relinquantur haec igitur, quae carere ſuſpicione non poſſunt, & tertia via, quam illa veneranda congregatio Pariſienſis Univerſitatis propoſuit, eligatur. Dicunt equidem, ut fama eſt, quod utriuſque obedientiae Cardinales ſimul conveniant, & uterque Pont ficum, confirmato, ut arbitror, utroque collegio, renunciento iuri ſuo, ita quod per omnes, qui titulum habeant Cardinalis unicus Pontifex eligatur. Hunc modum, hanc viam, non humanam, ſed divinam, ſanctiſſimam, optimam, tutam, certam ſine ſcrupulo, & ſine murmuratione commendo. Cui conſilio, ſi fas eſt me de tanta materia loqui, & illud addiderim quod heinc inde numerus Cardinalium adaequetur; ne contingat in electione futura partium alteram eſſe ſuffragiis inaequalem. Nam tametſi duarum partium totius congregationis requiratur aſſenſus, quae pars tamen vocibus ditior erit facilius praevalebit. Ut & huic calumniae bonum ſit, & quam neceſſarium obviare. Hanc viam, inclite Princeps, ſatis commendare non poſſum, nec credam ipſam ſanctiſſimis, & ſapientiſſimis viris illis carnem, & ſpiritum ſuggeſſiſſe, ſed Deum Patrem, qui in coelis eſt ſine dubio revelaſſe. Hac ſiquidem via nihil compendioſius

nihil

nihil iuſtius, nihil ſanctius, nihilque ſincerius, cogitari poteſt. Poſſunt enim Cardinales quemcumque locum elegerint, cum cito, tum facile, convenire. Nec dubitem, uſque adeo debet omnibus haec diſplicuiſſe ſciſſura, quod in unius electione Pontificis Dominus eis ſubitam concordiam inſpirabit. Quid autem iuſtius eſſe poteſt, quam ſciſma conceptum, atque nutritum ſuperbia dignitatum, humilitate renuntiationis extinguere, & unitatem in diviſa, ſicuti videmus, Eccleſia renovare? Quid autem ſanctius uterque Pontifex, & optare poteſt, & facere, quam pro reconglutinatione tam perniciosae ſciſſurae pro qua vitam exponere parum eſſet, reſignare litigioſas has, quas obtinent, dignitates? Quam lucrari fratris animam, quam certum eſt illum, qui ius non foveat, & pertinaciter inhaereat his, quae tenet in ſtatu gratiae, habere non poſſe; quam univerſum Chriſtianitatis Corpus de diviſionis tenebris ad lucem unitatis, & concordiae revocare? Cogitet uterque Pontificum, ſe non Petrum, aut petram fundamentalem Eccleſiae, ſed petram ſcandali dignam tamdiu reprobatione, quamdiu diſtulerit ſe praebere lapidem angularem, qui ſitus in capite geminos parietes uniat, & coniungat. Quod fieri non poteſt, niſi deſinant eſſe, quod ſunt; imo non quod ſunt, ſed quod eſſe credi cupiunt, atque volunt. Nunc lapides duo ſunt in hac Eccleſiae ſectione, tunc erunt unus in Chriſto concordiae, & fidei unitate. Nam quamvis neuter ad id quod ſe praetendit habere rediverit, cauſſa tamen efficiens cum Deo erunt, ut lapis unus in angulo reponatur,

tur, tanto profecto maiores atque digniores repoſito, quanto maius eſt, & dignius efficiens, quam effectus. O quam glorioſum dicere Eccleſiam ſuſcepi diviſam, & humilians memetipſum, reddidi concordem, unanimem, & unitam. Volui potius eſſe de puſillis unus in unitate Sanctae Matris Eccleſiae, quam diviſae Princeps in illius culminis dignitate. Eſt hoc profecto, ni fallor, adeo iuſtum & ſanctum, quod id non facere ſit diabolicum, & iniquum. Hortemini, requirite, urgete, & omni modo conemini, quod ad hunc renuntiationis actum, & concordiam veniatur. Qui ſe non permiſerit exorari, quiſquis ille fuerit, ſit vobis ſciſmaticus, & intruſus. Veriſſime iudicavit Salomon illam non eſſe matrem, quae patiebatur, & eligebat puerum dividi, matrem vero quae volebat integrum filium alteri conſignari. Sic & vos, & univerſus orbis illum reputet verum ſponſum, qui paratus fuit in unitatem, ſponſam dimittere, non diviſam, & laceram retinere. Placet haec via, glorioſiſſime Princeps, non mihi ſolum, cuius nullum eſt iudicium, ſed omnibus, qui ſenſerunt, non tantum quoniam expeditiſſima iuſta, & ſancta ſit, ſed etiam quia ſecura. Nulla quidem in hac re ſuſpicio verſari poteſt, nulla fraus intendi, nullaque corruptio fabricari. Quare te deprecor, inclite Princeps, & alios omnes in quorum manibus orbis terrarum eſt quique ſicuti fama eſt, apud Franchfort, & huius & dirigendi Imperii gratia conveniſtis, hoc ſciſmati negotium proſequamur. Numquam enim dirigetis imperium, niſi prius ordinaveritis & Papatum, a quo certum eſt imperium dependere.

dere. Nec vos rerum arduitas deterreat, difficultas fatiget, vel ſubmoveat magnitudo: memores circa ardua, magna, laborioſaque ſemper eſſe virtutem, tantoque magis quodlibet eſſe meritorium, quanto difficilius fuerit maioribuſque laboribus plenum. Haec reconciliatio pacificum reddet imperium, ſpem conceptam auferet hoſtibus Chriſtiani nominis, cunctaque ſecundum Dei placitum, & conſolationem hominum reformabit. Scio, magnificentiſſime Domine, me de me, pluſquam deceat, praeſumpſiſſe, quamvis fidelium omnium eſſe credam ſuper hoc non deſiderare ſolummodo, ſed clamare. Quoniam ubi de ſalute cunctorum agitur ignavum eſt, ſi non ab omnibus conſulatur. Si cui tamen videbor os in Caelum audacius poſuiſſe; conſideret Fidem, precor, conſideret, & coelum, quod me ad hanc unitatem habere facillime iudicare poteſt; ſciatque me, licet tot, & tanta ſcribentem pro Coeli magnitudine nil egiſſe, nec imponat fidei meae, ſinceritatique defectum, ſed ſi placuerit commendet affectum. Tu vero, Princeps optime, & ſi qui dignabuntur iſta perlegere, ſuſcipiatis haec in bonam partem, obſecro, meque loquutum haec ſinceriſſime, & fideliter, & in Divinae maieſtatis filiali metu, quae ſic inſpiraverit iudicate. Vale Florentiae XIII. Kal. Septembris.

PE-

Haec Epiſtola ſcripta Marchioni Moraviae, qui, ut videtur, ad eligendum Imperatorem Francofurti tunc temporis erat, convenit cum illis quae Cardinalibus, & Archiepiſcopo Florentino ſcriptae ſunt ad tollendam controverſiam Clementis & Urbani; ut videre eſt p. 18; & 39.

LII.

COLUCCIUS POETA PRO COMUNI FLORENTIAE DOMINO DOMINO PONTIFICI (1).

SAnctiſſime Pater atque Beatiſſime in Chriſto Pater & Domine, vereque Vicarie Ieſu Chriſti. Si quondam in publicae noſtrae defenſionis bellis a ſummis alieni ſanguinis Pontificibus, quum contra Chriſtianos arma movebamus devotioni noſtrae ſaepe numero fuit conceſſum, quod Clerici Dioeceſeos Florentinae, atque Feſulanae ad contribuendum non parvas pecunias Comuni noſtro licite cogerentur; quid ſperare debemus clementiſſime Pater de Pontifice Latini ſanguinis & Italicae nationis, & praecipue quum pro defenſione patriae ſaluteque Clericorum, & quod antea dici debet, pro defenſione Catholicae Eccleſiae ac totius Fidei Chriſtianae contra Schiſmaticos (2) bellum praeſentialiter aſſume-

(1) Haec Epiſtola ſcripta eſt Urbano VI. Pontifici Maximo, cuius partibus adherebant Florentini, quum Dominus de *Concy*, vulgo *Conciaco* in Italiam venit, & Arretium cepit, quod poſtea Florentinis pretio conceſſit, ſcilicet anno MCCCLXXXIIII. die XX. Novembris.

(2) Vocat Gallos Schiſmaticos, eo quod Galli, ut Pontificem, venerabantur Clementem, qui Anagniae a Cardinalibus Gallis Pontifex creatus fuerat contra Urbanum VI.

mamus? Sane ſicut putamus veſtram beatitudinem accepiſſe, Gallorum exercitus, qui per Italiam inundavit, Duce Domino de Conciano (1) Tuſciam inſultavit. Et primo dicentes: Pax, Pax occaſionem belli quaerentes, & cauſſam, bellum tamen perniciosiſſimum inferebant. Demum autem Civitatem miſeram Arretinam die XXVIIII. menſis Septembris proditione (2) Petramalenſium intraverunt; & civitatem totam excepta ſolum arce, quam cum difficultate devicerunt. Non poſſemus exprimere caedes atque rapinas Sarmaticorum feritate commiſſas, aut bis captae, biſque direptae civitatis miſeriam mortalis eloquentiae deſignare. Satis itaque ſit non omnia dicere (infinitum enim eſſet hoc ſi breviter explicarem. Tota itaque civitas, domus, opes, eccleſiae, viri, mulieres, divina atque humana, proh dolor! ferocitati victorum hoſtium ſunt conceſſa. Illic factio Ghibellinorum exultat; illic Gallorum fremit exercitus; illic Urbani nomine prophanato, Clemens adoratur & colitur. Illic de ſubiciendis Italiae finibus ſervituti miſerrimae conſultatur. Contra tales igitur, & talis intentionis hoſtes pro ſtatu Sanctae Matris Eccleſiae ac Sanctitatis veſtrae, pro to-

ta

(1) Alias de *Concy*, vel de *Conciaco* adpellatur.

(2) Familia Tarlatorum una erat ex primariis Civitatis Arretinae, dicta etiam *Petramalenſis* a quodam Caſtello quod Petramala vocabatur, & quod in poteſtatem venit Florentinorum ann. MCCCLXXXV. plurimis privilegiis conceſſis Marco Tarlati, qui bonis & aequis conditionibus Petramalam Florentinis tradidit.

ta Italia, pro nobis ipſis, pro Civitate, Caſtris, & ſubditis noſtris, & pro libertate, quam Dei munere a maioribus noſtris accepimus, & pro reſtauratione illius miſerabilis civitatis, quae iam bis tam crudeliter eſt afflicta cum omni noſtra potentia bellum intendimus inchoare. Et iam ſeptingentas Lanceas ad ſtipendia noſtra conduximus, & ampliorem pugnatorum numerum procuramus. Eſt enim nobis cum hoſte potentiſſimo mille quingentis Lanceis & Ghibellinorum favore ſociato, certamen. Quod ſi Deus coeptis noſtris, ut ſperamus, favorabiliter adſpirabit, expellemus de media Italia peſtem, & abominationem iſtam, & aut ipſos in illa civitate viriliter opprimemus, aut cum ingenti dedecore Ducem & exercitum in ſuam Galliam detrudemus. Pro tam iuſto igitur, tam pio, & tam honeſto atque neceſſario bello contra ſchiſmaticos & infideles ad benignitatem S. V. recurrimus, & piae ſubventionis auxilia poſtulamus, totius noſtrae devotionis affectibus ſupplicantes, quatenus dignetur veſtra Clementia Clericos quarumcumque Dioeceſum, qui in noſtris finibus obtinent beneficia vel praebendas; & tam exemptos quam non exemptos apoſtolica autoritate compellere ad ſubſidia nobis in hoc bello, quae non minus pro ipſis, quam pro nobis erunt in noſtrae caritatis viſceribus impendenda. Nam ſi conſueverunt Sancti Patres meritorie & laudabiliter Eccleſiaſtica bona diſtrahere, & etiam ſacra vaſa conflare in alimoniam pauperum, & redemptionem humaniſſimam captivorum; quis non conſentiat hoc tuendae fidei Chriſtianae

non minus Clericorum ſumptibus, quorum res agitur, quam de ſeculari pecunia ſubſtinendum? Ceterum Tu per hoc dignemini literas opportunas ſine dilatione concedere: & nobili viro Bartolo de Boncianis (1) dilectiſſimo Civi noſtro, exibitori praeſentium, fidem pleriſſimam exhibere. Dat. Florentiae.

LIII.

COLUCCIUS PRO POPULO FLORENTINO (2) REGI CAROLO.

TAndem de miſerrima Civitate Arretii, Sereniſſime & glorioſiſſime Princeps, pugil fidei, ſpes Guelforum, & urbis noſtrae refugium ſingulare, tandem evenit, quod ſemper veriti ſumus, quodque ſaepius fuit per nos tam viva voce quam per literas nun-

(1) Florentina *Bonciano-rum* Familia extincta eſt; cuius bonorum & cognominis heres eſt Familia *Gerinia*.

(2) Convenit haec Epiſtola ſcripta Regi Carolo cum ſuperiori, ex qua colligitur Arretium a Gallis occupatum eſſe die XXIX. Septembris per *Enguerranum* Dominum de *Conci*, qui in Italiam venerat pro Andegavenſium Duce contra Regem Carolum, qui inter ſe de Neapolitani Regni acquiſitione dimicabant. Ex hac Epiſtola videntur Florentini potius Regis Caroli partes, quam Andegavenſium Ducis fuiſſe ſequuti.

nuntiatum. Ecce enim quod factio Marci (1) de Petramala malum conceptum de more parturiens evocato Gallorum exercitu cum ipſorum Duce Domino de Conciaco die XXIX Menſis Septembris proxime elapſi Civitatem ipſam nocturni furti machinatione, cuſtodibus caeſis, invaſit; & quicquid ibi de praeda reliquum fuerat, quicquid primam cladem potuit illius populi vel induſtria gerere vel parſimonia congregare Gallicanus exercitus occupavit, ut nulla ſit tantae eloquentiae copia, quae bis captae biſquae ſpoliatae Civitatis digne poſſit miſeriam deplorare. In qua re, glorioſiſſime Princeps, licet ſuper exitio Florentini populi & deſolatae Civitatis miſeria promoveam; licet pericula nobis ex integro imminentia peſtifera, praeparata, non ſine perdendae noſtrae libertatis formidine metuamus; licet videre videamur, niſi clementia divina ſubveniat, urbem illam horrendi belli ſedem toti Tuſciae tremendis inſultibus imminere; honori tamen veſtrae maieſtatis in cuius manibus tot & tantas clades accepit illa miſerabilis Civitas compatimur & dolemus. Et eo maxime quia quum toties de concedenda nobis illa Civitate, quod ſolum omnium inbecillitatis, infirmitatis, & imo deſolationis eiusdem urbis & certum & unicum remedium videbatur mitius ſit tractatum, numquam tamen potuit res tam utilis, tamque neceſſaria tamque honeſta deſideratum finem & concluſionem debitam obtinere. Quin imo, quum nunc in

(1) Marcus *Tarlatus* Dominus de *Petramala* de quo ſuperius *pagina* 130.

in ultimis oratores noſtri, cum veſtrae Celſitudinis concordaſſent, cunctaque forent in limine, quumque peracta pericula non ſolum nobis oſtendentibus viderent oculis, ſed etiam manibus contrectarent; neſcimus quibus quaeſitis coloribus hinc inde Oratores in Romandiolam expedituri, ſicut aiebant, quaedam Maieſtatis veſtrae negocia, ſeceſſerunt. In qua re dolemus, quum in decem dies ſe redituros eſſe ſponderent; & nos interim auctoritatem opportunam a noſtris conſiliis pro expeditione negocii cepimus, ſicut cum ipſis exſtiterat ordinatum; ut nihil omnino reſtaret, niſi rem totam effectui demandare; quod nos deluſerint in Apuleam, ſicut accepimus, redeuntes. Nos ſaepenumero & Oratoribus & Vicario veſtro futura praediximus. Nos pro cuſtodia & defenſione Civitatis gentes obtulimus. Nos muniri fecimus arces, & arcium famulis ſatisfieri. Nos quinquaginta Baliſtrarios poſtulatos ſine mora direximus; omnem noſtram potentiam, ſi nos decreviſſent requirere, tranſmiſſuri. Nos de bona cuſtodia Vicarium & Arretinos quotidie monebamus. Sed fato quodam (ut ita loquar) factum eſt, ut quod fideliter dicebamus illi crederent a nobis ſolum Arretinae civitatis obtinendae ſtudio, ſimulari; & concepta ſubſpicione de gentibus noſtris, quod quum maiorem habuiſſemus in illa civitate potentiam de capienda urbe debuerimus agere, nihil ultra paucos quos miſimus baliſtrarios poſtularent, & ſic; ut verum apertiſſime detegamus; dum de nobis ſubſpicatur; dum a novis cavent, in manibus hoſtium inciderunt. Iuſtiſſimi profecto

ſecto Dei iudicium! quod qui pro ſalute ſua de veris amicis confidere noluerunt in poteſtate crudelium inimicorum cum exitio devenerunt. Utinam ſimul nec honori veſtro diminutionem nec vobis tam dura pericula peperiſſent. Nunc, enim qui paulo ante pacifice vivebamus, Republica noſtra a multis laboribus & expenſarum profluvio reſpirante, horum culpa in bello manemus. Quid enim facere debemus, glorioſiſſime Princeps? Potentiſſimus hoſtis cum mille quingentis lanceis civitatem inſidet Aretinam; & harum minor adhuc veſtrae maieſtatis nomine defendat? Non diu tamen poterit tam potentis exercitus violentia ſubſtineri, praecipue quum omnis Ghibellinorum undique factio coeptis harum gentium allatura favorem, ſicut videmus ſaepe maxime, ſublevetur. Paramus itaque gentes, & omnem noſtram potentiam congregamus, requirimuſque ſocios & amicos, & intendimus per Dei gratiam urbem iſtam, unde tot & toties nobis pericula, imo damna poene innumerabilia provenerunt; ſuntque, niſi provideantur aliter proventura, modis omnibus, etiam bello, de occupatorum manibus extorquere: & ſtirpem illam Domini Petri de Petramala caput & originem tanti mali pro viribus exſtirpare. Quibus feliciter, ut ſperamus, exactis, fragmenta deſolatae urbis & reliquias diſperſi populi eligemus, ut civitas haec infelix, licet numquam in ſtatum priſtinum reditura, quocumque tamen fieri poterit reſtauretur. In quo ſperamus nos Deo & mundo ac etiam Maieſtatis Veſtrae ſingulariter placituros. Honorabilius enim ſublimita-

ti Veſtrae Civitatem per fideles amicos Culminis veſtri reſtitui, quam ſanctiſſimi diadematis veſtri hoſtibus crudeliter lacerari; dumque hos inimicos veſtros hoc bello retinebimus occupatos, invicta veſtra Maieſtas ab hac gente ſecura, Duce quondam Andegavenſium, ſicut ſperamus, extincto, bellum Regni feliciter conſumabit. Datum Florentiae. (1)

LIV.

PERUSINIS.

FRates Cariſſimi. Non ſine admiratione, nec ſine mentium noſtrarum fraterna perturbatione percepimus, quod quum pro defenſione veſtra & omnium colligatorum Magnificus miles Dominius Ioannes Haucud cum aliis noſtris gentibus in veſtro territorio caſtra tenent, ut videtis, & ideo tam ipſe, quam oratores noſtri vos duxerunt requirendos, quod aliquos caballarios partium iſtarum peritos, quorum oportet ſecundum locorum conditiones ſaepius commutari, utpote quum ſit impoſſibile alienigenas veſtrarum habere notitiam regionum, facientes eidem celeriter exhiberi, qui de hoſtium conſiliis atque progreſſibus ſcrutarentur, ipſos nullatenus praebuiſtis; & preterea, quum ſentiamus, ſi voluiſſemus ibidem aliquos exploratores conducere, facile potuiſſe-

(1) Nempe anno MCCCLXXXIV. quo captum eſt Arretium.

ſemus. Quin etiam plurimis nobis literis intimatis, quod de Baliſtrariis noſtris ad eumdem Dominum Ioannem tranſmittere debeamus pro excuſatione in eisdem literis aſtruenda, vos aptos ad tale miniſterium non habere. Nos autem plures veſtrates Baliſtrarios ad ſtipendia noſtra conduximus, & habemus. Ex quo mirum eſt, apud vos tantam vigere penuriam eorum, de quibus a vobis, nos, & alii quam voluerunt copiam habuerunt. Nec vos movet quod videatis nos tantum expenſarum in noſtri Comunis humeros ſuſcepiſſe; tot equitum copias ad veſtram & aliorum defenſionem noſtris ſumptibus tranſmiſiſſe; & quod movere deberet pudorem, fratres noſtros Caſtellanos, ac Dominum Comitem de Monte (1) Feretro Baliſtrarios in huius rei articulo extra patriam tanto terrarum ſpatio deſtinare. Et quum undique ad veſtram defenſionem totis viribus accurratur, vos ſoli negligitis quod videtis ab aliis tanta diligentia procurari. Quin etiam quum idem Dominus Ioannes veſtram prudentiam requiſiſſet, quod denuntiari publice faceretis, quod qui ſtipendia vellent ad baliſtas, ad vos pergerent, ſcientes vos eſſe cunctos qui ſufficientes exſtiterint, firmaturos, ſolum ut haec vox & fama per circumſtantias volitarit, vos haec facere renuiſtis; & quod plus in oſtentationem ſolam cum timpanorum & claſſicorum fremitu, aliquos famulos mox revocandos in eius caſtra mittere noluiſtis. Quae no-

(1) Scilicet Dominum Antonium, de quo ſuperius mentio facta eſt *pag.* 99.

nobiſcum ſatis non poſſumus admirari. Et ob id, Fratres cariſſimi, expergiſcimini in ſalutem veſtram, & quod ſine expenſarum onere fieri poteſt, defenſoribus veſtris, ſaltem de oſtentationis pompa in terrorem veſtrorum hoſtium, complacete. Imo donec in partibus iſtis militare contigerit, dictas gentes eisdem, quod facile poteſtis, de Baliſtrariis & pedeſtrium copia ſubvenite. Nolite, quum tempus eſt in veſtri nominis detractionem dormiendo lenteſcere. Si enim, ut ſperamus, eidem Domino Ioanni veſtra non deſint auxilia, ſed ſicut poteſtis, eum equitum atque peditum & Baliſtrariorum robore confirmetis, evaneſcent hoſtes ab oculis invicti noſtri exercitus, & in fugam in exſtremum ipſorum exitium convertentur. Recordamini veterem veſtri Populi maieſtatem, quae non minorem, quam nunc videatis, exercitum, ſuis expenſis pluries ſubſtentavit. Et quoniam, ut videtis, pro ſalute veſtra longe plus exponimus quam valemus, reſiduum illius pecuniae, quam debetis noſtris Commiſſariis ſolvi facere non tardetis. Non agitur nunc de amplificandis finibus, nec de honore, quo ſitis, decertatur. Sed ſtatus & omnis fortuna veſtra in martis manibus exponuntur; ut qualis vobis fortuna futura ſit ex iſto belli turbine videre poſſitis, ſi bene reſpicitis dependere. Datum Florentiae XIII. Septembris MCCCLXXVII.

ARE-

LV.

ARETINIS.

AMici cariſſimi. Imminent vobis, ſi bene reſpicitis, heinc hoſtes (1) domeſtici, inde potentiſſima manus, nedum vobis quorum breviſſimae vires ſunt, ſed etiam nobis & toti Tuſciae comminatur. Et qualis ſit vobis intra moenia ſtatus, ſi diſſimulare non vultis, manifeſte, percipitis, & videtis. Omnia quidem ſunt plena ſuſpicionis, ni fallimur, & terroris, qualiſque intra populi veſtri corpus ſit caritas, qualis etiam animorum concordia, vos noviſtis. Quae quum ita ſint, niſi Deus manum adponat, & mirabiliter operetur, niſi vos ipſi animos ad ea quae ſint concordiae diſponatis, etſi ſalus ipſa voluerit, non poterit vos ſalvare. Purgate hoc diſcordiae fermentum. Etſi intrinſeca pericula vos non movent, moveant vos quae forinſecus praeparantur, quae tanto magis ad nocendum valida & efficacia ſunt, quanto magis inter vos diſcordia candeſcebit. Conſiderate vos etiam in ſumma concordia parum

(1) Reſpicit rebellionem Arretii; hanc enim urbem *Ioannes Albergotti* Epiſcopus Arretinus, & profeſſione Monachus, ad Pontificis partes adducere tentaverat, ſperans a Pontifice M. dignitatem Cardinalatus ſe conſecuturum. Quare perperam *pag.* 104. adnotatum eſt *Buoſum* ex *Ubertinorum* gente forſitan fuiſſe; nam Epiſtola XLVIII. & XLIX. de hac rebellione mentio ſit.

rum per vos ipſos defenſioni veſtrae ſufficere, & ex hoc poteſtis quantum vobis in tanto praeſidio periculum immineat ponderare. Et ob id, amici cariſſimi, nolite in turbatione veſtra quod vobis praeparatur excidium non videre. Nolite inter vos de ſtatu & maioritate contendere; quoniam (ſicut apud Oroſium legitur) urbes Graeciae quum intra ſe de imperando certarent, omnes imperio caruerunt. Scitis circa hoc dictum eſt: & ſi haec pauca volueritis mente plana diſcutere, non dubitamus vos in conſilium conſervationis veſtrae libertatis procul dubio devenire. Datum Florentiae die XIII. Septembris. XV. Indictione MCCCLXXVII.

LVI.

DOMINO PETRO (1) GAMBACURTAE.

Magnifice miles, Amice cariſſime. Audimus multorum Civium Piſanorum qui ſalutem veſtram, & noſtram forte minus adfectant animos arrexiſſe, ſperantes ad has partes gentes Eccleſiae progreſſuras, & ob

(1) Gambacurtarum Gens Piſanae civitatis Dominium obtinuerat. Petrus Gambacurta a Piſana civitate & ab ejus Dominio expulſus anno MCCCLXII. conveniens cum Lucenſibus & Florentinis bellum aſſidue Piſanis inſerebat. Heinc anno MCCCLXVIII. Piſis reſtitutus denuo eius urbis dominium coepit, & cum Florentinis amicitiam ſemper fovit, unde Res Piſanae hiſce temporibus bene ſe habuere.

& ob id in rerum novarum ſtudium excitari. Quocirca ſinceris affectibus vos hortamur, quod praedicta quae poſſumus opinari, & quae cuncti comuniter arbitrentur, ipſarum gentium non erit ad iſtas partes acceſſus. Quod ſi contingat pro conſervatione veſtri ſtatus, quem non minus quam noſtrum proprium diligimus & amamus, intendimus exponere poſſe noſtrum, voſque tali tantaque potentia roborare, quod iſtorum malivolorum conatus, cunctaeque machinationes clandeſtinae fruſtrabuntur. Vos autem interim diligenter proſpicite veſtro ſtatui ſaluberrime conſulendo, pro quo nos requirite confidenter, quoniam vobis, quam nobis ipſis opportuna ſubſidia ſubtrahemus. Datum Florentiae die XVII. Septembris XV. Indictione MCCCLXXVII.

LVII.

ROMANIS.

ILluſtres & Magnifici Domini ſoli Patres Italiae. Videtis diſpoſitionem Summi Pontificis, qui totis conatibus, omnique modo procurat deſolationem Italiae, ipſamque magis vult bellorum turbine conquaſſari, quam pacis, & concordiae deſideratiſſimo munere reformare; & pacem ore praedicans, ſolum bellicas vaſtationes animo meditatur. In abſentia noſtrorum oratorum publice pacem obſert: quum

quum autem dignis conditionibus obfertur; quum ab eodem omni cum humilitate & reverentia poſtulatur, ipſam per moras diſtrahens, dum ſperatur concluſio, deſperatur. O indigna & deflenda temporum noſtrorum conditio! O nefas nullis temporibus ſubticendum. Regis pacifici Vicarius, coeli claviger, Petrique ſucceſſor, cuius eſt cunctos fideles in pacis dulcedine continere, pacificare provincias, & diſſidentes regum diſcordias ad unitatem pro augumento fidei revocare, bellum ardentiſſime contra fideles, & devotos Eccleſiae gerit, nec veretur contra Ieſu Chriſti inſtituta pacem toties petitam humiliter, in duritia mirabili denegare. Et ob id, quum Maieſtatis Populi Romani ſit curam de conſervatione Italiae gerere principalem, & eius libertatem modis omnibus procurare: veſtram magnificentiam cordialiter deprecamur, quatenus ad accurrendum tantae ruinae, quam non ſine nota negligentiae, ſi ad hoc manum non poſueritis, permittetis, vos promptis animis diſponatis. Et ecce inter nos & magnificum fratrem noſtrum Dominum Bernabovem parata tenemus tria millia lancearum, quas ad omnia veſtra beneplacita, quandocumque nos requirendos duxeritis exponemus; ut in veterem ſtatus Romani gloriam, veſtra maieſtas hoc noſtro tempore revertatur. Mementote maiores veſtros ſe infiniti ſanguinis impenſa Senonibus Brenno Duce, ſaevientibus Theſſalis Rege Pyrrho, pugnantibus Carthaginienſibus Annibale ductore, fulminantibus Theutonis, Tygurinis, & Cimbris exitio Italiae triplici duce imminentibus,

oc-

occurriſſe. Quarum rerum merito ne dum Italiae, ſed omni terrarum orbi iuſtiſſime profuerunt. Revocate veterem animorum virtutem. Numquam habuit Populus Romanus paratiorem occaſionem ad gloriam, nunquam faciliorem aditum ad triumphum, numquam pleniora ſubſidia ad rem arduam adgrediendam; ut omnium ignaviarum ignaviſſimum ſit, vel Italiae veſtrae curam negligere, vel tantae gloriae praeparatam opportunitatem ferventibus animis, & conſtanti propoſito non amplecti. Nos autem tamquam verum (1) Romanum genus, & qui a tantis deſcendiſſe viris merito gloriamur, parati ſumus veſtigia veſtra ſequi & numquam a veſtris conſultationibus deviare: ſed originis noſtrae memores per ſemitas veſtrorum greſſuum proficiſci. Quid facietis, o viri clariſſimi? In Societatem iam partae victoriae veſtra ſublimitas evocatur, cuius rei gloriam quanto deſiderio cupiamus titulis noſtris accedere nec ſcribendo poſſemus, nec etiam verbo tenus explicare. Datum Florentiae XXI. Septembris XV. Indictione MCCCLXXVII.

Se-

(1) Florentini enim a Romanorum gente originem & quidem antiquiſſimam ſe duxiſſe iactitant; & merito quidem. Nam Florentiam ſplendidiſſimum Municipium Romanorum fuiſſe etiam temporibus L. Sullae certae & exploratae fidei eſt; Florentiam enim, Spoletum, Praeneſtem, Interamnium, teſte Floro, L. Sulla ſub haſta vendidit. Quapropter Sullae temporibus Florentiam non modo extitiſſe adparet, ſed magnam perſpicuamque urbem, & ſplendidiſſimum Romanorum municipium.

LVIII.

SENENSIBUS.

FRatres Cariſſimi. Recepimus literas veſtras, quibus Britonum ferale conſortium ad veſtras terras maritimas ſcribitis appuliſſe, voſque apud Mallianum oppidum notabile dictarum partium, ſua caſtra; quod Deus Iuſtitiae fautor ipſis in confuſionem vertat, & exterminium; poſuiſſe, & qualiter intendunt terras veſtrae Marimitimae debellare, pro quarum defenſione a nobis armatorum ſubſidia poſtnlatis. Quibus breviter reſpondemus, quod quamvis pridem ſcripſerimus magnifico militi Domino Ioanni Haucud, quod non minus de veſtro, quam de noſtro proprio ſit ſtatu ſollicitus, & noſtris Oratoribus duxerimus iniungendum, quod eum, ad id quod eidem intimavimus, animent & hortentur; nihilominus tamen eisdem hoc idem, tanto efficaciter, quanto res propinquior videtur eſſe periculo per noſtras literas decrevimus renovare. Itaque exinde procul dubio quantum oportuerit ſubſiidii veſtra Fraternitas conſequetur. Vos autem nolite frangi nimis. Nolite hac diſcurſione teneri: praeſto ſunt noſter invictus exercitus in magno & clariſſimo numero bellatorum, qui qui hoſtium conatibus ſe opponet. Spes deinde certa vos teneat, quod Deus erit in medio gentium noſtrarum, quae ſunt pro iuſtitia, pro libertate, & in ultionem infinitorum ſcele-

le-

lerum pugnaturae; & qui in bello ſpem ſuam poſuerunt, belli fructus metent; & in confuſionem ac exterminium deducentur. Datum Florentiae die xxv. Septembris p. Indict. MCCCLXXVII. Quae in futurum occurrent ſicut laudabiliter incepiſtis nobis ſignificare, veſtra Fraternitas non gravetur (1).

LIX.

COLUTIUS PRO MAGNIFICO POPULO FLORENTINO MAGNIFICIS DOMINIS CAROLO (2) ET FRATRIBUS DE MORTE DOMINI GALEOCTI DE MALATESTIS.

MAgnifici viri dilectiſſimi noſtri. Lugubres & funeſtas literas veſtras triſtes accepimus, quibus nobis obitum Magnifici Fratris noſtri Domini Galeocti de Malateſtis nunciaſtis, qui ſicut veſtrae ſcriptio-

(1) Ducebat copias Pontificis ex Britonibus, aliiſque efferatis gentibus compoſitas Ramundus Pontificis ex fratre nepos.

(2) Puto hunc *Carolum* illum eſſe, qui anno MCCCCXVI. cum *Galeacio Malateſtae* Piſauri Domini filio, qui ambo cum *Braccio a Montone* praelium committentes, in eius captivitatem venerunt; quare Florentini eodem anno oratorem miſerunt *Angelum Pandolfinium* & *Petrum Guicciardinium* ad *Pandolphum Malateſtam*, conquerentes de morte *Malateſtae* Caeſenatis Fratris ſui, & de captivitate *Galeacii* & *Caroli*.

Nam

nes moeſtiferae continebant die xxi. prima menſis inſtantis fuit mortalitatis ſarcina conditione naturae ad gloriam aeternae beatitudinis evocatus. In quo moeſtiſſimae noſtrae mentes pungentiſſimo fuerunt vulneratae dolore, conſiderantes talem amicum nobis & noſtro populo deperiiſſe, qualem & quantum nos inventuros eſſe non credimus, & quod ſine dubitatione valemus aſſerere, qualem & quantum adhuc nequimus invenire. Dolemus itaque damnis noſtris, dolemus & veſtris incomodis. Dolemus ſanctae matris Eccleſiae diſpendium, ac Italiae, & totius reipublicae detrimentum. Cecidit enim fortiſſimus Iſrael, cecidit Auſoniae decus, Eccleſiae pugil, conſilii maturitas, rei militaris ſcientia, & unicum noſtri temporis inconcuſſae fidelitatis exemplum. Cecidit & noſtri Comunis verus frater, poſteritatis noſtrae dilector, adverſariorum particeps, & fidelis in cunctis ſocius & amicus, ut hunc caſum vix ſatis digne pro magnitudine rei poſſit noſter populus lamentari. Conſolamini tamen in eo quod ſcribitis, ipſum, intellectu vivido, rebus ſuis humaniter bene diſpoſitis in comunicatione fideli ſacramentorum Eccleſiae generoſum illum ſpiritum reddidiſſe. Spes equidem ſuae ſalutis levat in nobis acrimoniam tanti caſus; & ut in his etiam conſolari debeatis vos priſtinis affectibus hortamur. Cogitate tamen qualis, & quanti viri, quantaeque gloriae ſitis heredes, voſque di-

Nam eo tempore Malateſtarum gens Dominium Ceſenae, Piſauri, & Arimini, aliorumque Caſtellorum occupaverat.

dignos tanti patrimonii, virili conſtantia & cunctis viribus exhibere. Maximum enim habetis ad honeſtatem & gloriam (ſi recte reſpicitis) exemplum, Maximum calcar qui in tanto priſtini luminis ſplendore debeatis, & in tantorum hominum oculis obverſari. Nos autem intendimus cunctis temporibus dilectionem, quam ad hunc patrem veſtrum, & alios veſtros progenitores ſemper habuimus in vobis plenis affectibus conſervare: ut a nobis certi ſitis nec auxilia ſiquid ingruerit, nec fidele conſilium defuturum. Ceterum vos concordes eſtote: nec varius dominandi fumus oculos veſtrae mentis obducat: cogitate quod ſi inter vos naſceretur de imperio forte contentio facile poſſetis omnes imperio ſpoliari. Florentiae.

LX.

SENENSIBUS.

FRatres Cariſſimi. Oppreſſionem Civitatis Groſſeti, quam Bretonum immane conſortium ſcribitis adtentare, propter ea, quae Fraternitas veſtra veretur, accepimus diſplicenter. Sed ſpem plenam & firmam in Domino noſtro, cuius auxilium ad innocentes extenditur, & ſemper pro iuſtitia in Deo ſperantibus exhibetur adſumimus & habemus, quod iniquorum diſſipabuntur conſilia, omneſque conatus exeuntes in irritum, fruſtrabuntur. Vos autem defenſioni dictae Civitatis, & aliarum terrarum veſtrarum, diligenti proviſione conſuli-

te; Baliſtrarios & gentes armorum in ipſis in ſufficienti copia deputando. Domino Ioanni & Commiſſariis noſtris, qui ſecum ſunt pro ſubventione ſcripſimus opportune; & adhuc quoties literas ad eos deſtinabimus repetemus. Datum Florentiae die XXVI. Septembris prima Indictione MCCCLXXVII. (1)

LXI.

ARRETINIS.

AMici cariſſimi. Videntes tractatum pacis inter vos & nobiles de (2) Petramala per tot diffugia dilatari, & putantes propter ipſorum moram animos praefatorum nobilium indurari; & ignorantes, quid difficultatis in hoc negotio vertetur, volenteſque de hoc verbo tenus informari, quia ſaepe minus ſcribitur, quam agatur, & plerumque conſueverunt ſcripta ad ſententiam incogitatam extendi, oratores noſtros qui apud vos erant duximus revocandos. Quorum relatione percepimus praefatos nobiles, quic-

(1) Ioannes Aucud in hac expeditione bene, & viriliter ſe geſſit, nam irritos Britonum conatus reddidit, & e Senenſium ditione cum eorum Duce Ramondo expulit, ut videre eſt apud *Admiratum Lib. XIII.*

(2) Haec eſt nobilis *Tarlatorum* Familia, a quodam Caſtello, quod *Petramala* vocabatur, de *Petramala* nuncupata, ut alias diximus & ſumus dicturi. Nam de hac familia de *Petramala* pluries occurrit mentio in hac Epiſtolarum collectione.

quicquid ſpei concipiant, vel expectent, ad pacem honeſtam & tutam non eſſe diſpoſitos, ſed ad bellum. Sed quoniam hoc totum ex motibus veſtrae(1) Civitatis credimus evenire, veſtram prudentiam affectuoſiſſime deprecamur, quatenus haec & alia periculo vobis ante oculos proponentes ſitis circa unitatem veſtrorum Civium cum ſollicitudine curioſi. Ad hoc cordium veſtrorum ſtudia mente tota dirigite. In hoc Amici cariſſimi, cum diligentia vigilate. Attendite ſicut laudabiliter incepiſtis ad reformationem veſtri regiminis. Itaque ſapienter & cum ſalute diſpoſitis rebus intrinſecis, ad ea quae foris ſunt, vos unanimiter convertatis. Datum Florentiae die XXVII. Septembris prima Indictione MCCLXXVII.

(1) Arretium enim inteſtinis diſcordiis tunc temporis agitabatur: nonnulli enim cum Pontifice; plures vero cum Florentinis convenire arbitrabantur.

LXII.

DOMINO IOANNI AUCUD.

MAgnifice miles, Amice cariſſime. Recepimus literas veſtras, & intelleximus requiſitionem de vobis factam pro parte Summi Pontificis circa pacem & concordiam cum magnifico fratre noſtro Domino Bernabove, aut ſecum & nobiſcum ſimul ex una parte cum Romana Eccleſia contrahendum. Quibus breviter reſpondemus, quod nos (ipſe teſtis eſt Deus nobis) & ſumma & extrema neceſſitas ad ferrum compulit, & non voluntas nec propoſitum offendendi. Nec vero bellum incoepimus nec gerimus ſine voluntate pacis, quam totis deſideriis exoptamus. Pro hac habenda, Avinionem, Romam, & demum Anagniam noſtros diutius tranſmiſimus oratores; nec per vos ſtetit, quin pax ipſa dignis conditionibus firmaretur; ſed eidem pacis ſtudio rem etiam nobis impoſſibilem duximus obferendam. Sed ſummus Pontifex, qui labiis pacem vocat, cor autem eius longe eſt ab ea poſt plura colloquia, infinitoſque tractatus & multas difficultates compoſitas & firmatas in fine omnium quae fuerant per tempus quatuor menſium cogitata; idem Summus Pontifex ad ſe negocio revocato, omnia prius collata denegans, & procidens, quaſi tunc inciperetur; tot & talia poſtulavit, quae, nedum indecens, ſed prorſus fuiſſet impoſſibile, etiam ſi

vel-

vellemus, expoſitis noſtris viribus obſervare. Sed quamquam ipſe pacem fugerit, nos parati ſumus ipſam cum dicto magnifico Fratre noſtro, & aliis noſtris Colligatis convenientibus conditionibus acceptare. Vobis tamen, quos ſincere videmus & puro propoſito vos moveri, de impenſis conſiliis gratiarum referimus actiones vos rogantes, quatenus, ſicut laudabiliter incepiſtis, bellum viriliter inferatis; quoniam haec eſt, ut credimus, ſola via, quae perducet nos ad pacem deſiderabilem cum honore. Datum Florentiae die XXVII. Septembris prima Indictione MCCCLXXVII. (1)

*****

(1) Videntur Florentini iam expenſis defatigati & conſcientia moti quod contra Romanam Eccleſiam bellum gererent, pacem aequis conditionibus a Pontifice voluiſſe, ideoque plures circa pacem tractatus cum Pontifice habuiſſe; quae quidem omnia in irritum eccidere ob iniquas, quas Pontifex conditiones petere videbatur. Nam ut videre eſt inferius Epiſtola ad *Galeottum Malateſtam* Ariminenſem ſcripta, poſt varias tergi verſationes, variaque colloquia petiit Pontifex *mille milia Florenorum; quod Florentini rebelles & urbe privati Florentiae reſtituerentur; & quod finito hoc foedere non poſſent Florentini cum Pontificiis ſubditis foedus inire*. Quae quidem omnia a Florentinis denegata ſunt.

LXIII.

DOMINO IOANNI AUCUD.

MAgnifice miles, Amice cariſſime. Sicut pridie vobis ſcripſimus, ſemper fuit intentio noſtra prona ad omnia quae ſunt pacis, & id trina vice per tranſmiſſionem noſtrorum Oratorum experti, ſemper invenimus cor ſummi Pontificis induratum, quamvis plures ſint iuxta ſuam ſanctitatem, quos pacem credimus exoptare. Nec credatis quod non niſi maxima ſpe perducti noſtros miſerimus Oratores. Non tamen adeo fugient pacem, quum nos ad illam recipiendam ſemper inveniat praeparatos, dummodo pace velit Apoſtolica ſanctitas omnibus Colligatis & nobis iuſtis conditionibus exhibere. Vos autem bellum, ut cepiſtis, viriliter agite, quoniam ad optatum pacis nonniſi per eius contrarium poterimus pervenire. Nihilominus tamen de hoc ſcripſimus Domino Bernabovi, ſuum in hoc & in reliquiis ſalubre conſilium ſecuturi. Datum Florentiae die XXX. Septembris prima Indictione MCCCLXXVII. (1)

CO-

(1) Haec Epiſtola cum ſuperiori maxime convenire videtur, & notanda eſt maxima Florentinorum fides erga ſuae confoederationis Socios.

LXIV.

COMITI (1) LUTIO

MAgnifice Comes, Miles egregie. Gratias habemus nobilitati veſtrae quanto plenius poſſumus & valemus de geſtis per vos tam magnifice, & tam fortiter in partibus Marchiae in ſublimationem honoris totius Legae, quod digno ſatis celebrare praeconio difficile nobis foret: ſed longe maiores vobis rependimus gratias, quod habito noſtro Brevi, ſine morae diſpendio Peruſium acceſſiſtis. Verum Amice cariſſime compulit nos ad veſtram potentiam de Marchia revocandam unio Britonum, qui procedere verſus noſtrum territorium adtentabant. Sed poſtquam illi qui in Fratrum noſtrorum Senenſium Maritimam venerunt verſus Patrimonium retrocedunt, & alia Britonum manus apud Interamnum: iſthic ad colligatorum ſervitia maneatis circa Tudertina negotia, & Civi-

(1) Gratulatur cum Comite Lutio ob res bene geſtas contra *Rodulphum a Varano*, quem a Florentinis defeciſſe diximus, & qui in Marchia contra Lutium cum ſexcentis Britonum Lanceis, & tribus millibus peditum venerat, pugnam commiſſurus. Cum quo *Lutius* manum conſerens *Varanum* fudit, eiusque exercitum diſſipavit, ipſumque *Varanum* fugientem, & vix ab eius manibus evadentem uſque ad Tolentini moenia perſecutus eſt.

Civitatis Fulginii, opportuna ſubſidia miniſtrando. Interim hoſtium progreſſus nos de agendis plenius informabunt, & prout utile fuerit, & neceſſarium vobis per veſtras literas curabimus intimare. Datum Florentiae die prima Octobris prima Inditione MCCCLXXVII. Donec autem in illis partibus motam traxeritis placeat vobis pro honore & ſtatu magnifici Fratris noſtri Domini Bernabovis, & noſtro ac totius Ligae cum magnifico milite Domino Ioanne Haucud retinere colloqium per aliquos vobis fidos, & una cum ipſo de exterminio hoſtium ordinare.

LXV.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

Magnifice miles, amice cariſſime. Reverſus eſt de partibus Marchiae magnificus Comes Dominus Lutius de Lando, & uſque Peruſium iam proceſſit, cui ſcripſimus quod in illis partibus ad favorem colligatorum debeat remanere; & quod pro honore & ſtatu Magnifici Fratris noſtri Domini Bernabovis, & noſtro, atque totius Ligae vobiſcum debeat retinere colloquium per aliquem ſibi fidum, & hoſtium exterminium procurare. Quae veſtrae nobilitati intimare curavimus, ut cum eodem placeat in praedictis taliter convenire, quod hoſtium audacia comprimatur; quos minus eſt uſque ad

Se-

Senenſium (1) territorium inſultaſſe. Datum Florentiae die prima Octobris prima Indictione MCCCLXVII.

LXVI.

PEREGRINUS DE ZAMBECCARIIS BONONIENSIS (2) COLUCCIO FLORENTINO.

MAeſtus audivi Florentiae multos, optime pater, ex peſte cadere, teque vario & & irrationabili innexum eſſe propoſito ad evitandam peſtem, aeris mutationem non conferre. Quod ſaltem ſi illud haud ex te mutaturus, per ſalutem liberorum tuorum mobilis eſto, & tres ex parvulis deſtina mihi. Magnos non poſtulo, quia comitivam eis neque propter officii occupationes meas ſolamen aliquod exhibere valerem. Rogarem

(1) Venerat enim uſque ad *Groſſeti* moenia *Ramundus* Pontificis ex Fratre Nepos cum Britonum manu ab eo miſſus, ut capta ea urbe, cum ſuis copiis uſque ad Florentina moenia devaſtando agros, domoſque depopulando excurreret.

(2) Haec Epiſtola anno MCCCLXXXIII. ſcripta videtur, cum peſte Florentiam urbem invadente omnes fere cives patriam derelinquentes in vicinas urbes perrexere. Qua occaſione ſumta rebelles & urbe privati in patriam redire tentaverunt: nec vero a civilibus bellis urbs tuta erat, plebe ipſa turbas excitante; nam vigebat adhuc factio illa, quae dicebatur de *Ciompi*.

rem ut omnes mitterem, ſed omnium aedem non habeo niſi in devotione capacem. Tres autem cum uxore mea gratiſſime educabuntur & per annos laeta fronte ſuſcipiet. Si cuſtos lubricarum divitiarum, quae tot ſunt caſus, humanarum, nam nequeunt ab armata cuſtodia defenſari; melior quam fuerim extitiſſem, & totam familiam tuam aperto exhilariretur animo, ad domum meam, quae tua eſt, convitarem. Non ſervavi niſi pro tribus, quos illis iubeas uti, & quam citius potes ingreſſus immictes. Nam iuſta Petrarcae ſententiam.

Paſtorem Paſtor: pecudem pecus inficit aegra.

A Tergo. Unico ſponſo Muſarum, Ser Colutio Cancellario Florentino Patri meo.

LXVII.

LAUREA DIGNO VIRO COLUTIO PIERI DE STIGNANO CANCELLARIO PRAECLARAE ET INVICTAE URBIS FLORENTIAE VIRO DOCTISSIMO.

PArce precor occupationibus meis, celeberrime vir: imo ſi parvitas mea tanti viri affectibus digna ſit, potius ingemiſſe, & anxiae ac tempeſtuoſae vitae meae taediis, ſub quibus, neſcio quo coeli ſoevientis odio annos infauſtae iuventutis iam tranſilii virorum benigniſſime compatiaris precor. Diu conſilium mihi fuit aliquid ad te ſcribere, quod etſi florentiſſimi ingenii tui magnitudini impar, ſaltem

tem pauperis ac rudis amiculi tui monumentum in te foret. Cum calamo diu luctatus ſum; diuque experiri volui, ſiquid tuis dignum oculis poſteris mandare literis eius beneficio potuiſſem. Heu iacuit, heu in honoribus diu ac iacet mille occupationum proſtratus inſultibus, quas numerare profecto faſtidioſum & longum: te tamen, licet vultu ignotum mihi, celeberrima ſed dicendi gloria, & ſacrorum ſtudiorum tuorum immortalitate notiſſimum clariſſimi nominis tui ſedulus amator devota mente iamdudum colui, & veneratus ſum, teque abſentem veluti praeſentem habui. Dum in patria infelix degerem, arſi ſemper ad te venire, ut ſacro tanti viri adſpectu oculos meos tuae venerandae praeſentiae avidos, felices, laetoſque facerem. Sed hinc lacerae & quaſſae patriae belli tumultus quibus extra ipſius limites nomine ſubſpectae captivitatis & obſceni carceris terrore repreſſus, pedem efferre non auſus ſum, heinc mille ſiniſtri obſtitere caſus, qui me itineri ſaepenumero adcinctum & ſuffultum inverterem iniectum retro. Felix Academicus Plato, & voti ſui fauſte potens, qui Architam Tarentinum ea aetate apud Italos, clariſſimum philoſophiae nomen, viſendi deſiderio vehementer incenſus Tarentum in ultimo Calabriae receſſu ſitum de medio Athenarum ſinu per tot diſtantes terrarum & maris tractus tanta viri fama pellectus, philoſophia comite, ſecurus, & alacer potuit perveniſſe. Ego enim licet a te corpore diſteterim, viſuque virtus tua te mihi ſic praeſentiſſimum fecit, ut vultum vultui, latus lateri, & pectori tuo meum indigniſſimum iungere mihi

i ipſi

ipſi multoties viſus ſum. Evolat a me ſaepe animus a te captus, & illum ad te ſuſpirantem, manentemque diu tecum vix queo aliquantulum revocare. Illi quidem quamquam formae ſuae ignarus hoſpes exſtiteris propter venerabilium hoſpitis, & hoſpitii dulciſſimum uſum, vehementer invideo. Facit hoc humanitas, facit hoc audita manſuetudo tua, & quum ad te unco tenaciore protrahunt peritorum ſtudiorum tuorum quibus in profanum & abominandum cenſum iuveniliter olim adſpiravi, ſacrae tuae, ac benedictae vigiliae. Quippe ſi ingenii & ſtili tui vires rite metior, tu hac aetate ſola Muſarum ſpes, ſola gloria, & unicum ipſarum decus. Tu ſolus egregii carminis tui elegantia potens es, & honoratum nomen, & immortalitatem viris benemeritis polliceri. Tu ſolus aevo noſtro omni dicendi genere fons uberrimus latinae eloquentiae, cuius rivulis Italicae iuventutis creſcentia diu irrigata nuper ingenia revireſcunt. Te canens, te legens, diſcens inclita carmina Pieri, ſpiritus in te ſuperbit & gloriatur. Ipſa enim coelitus dato praeſtantiſſimae claritatis tuae dono tot exſtinctorum vatum damna compenſant, ſeque poſt, perpetuis digniſſima lacrimis ſepulcra divini Petrarchae noſtri coeleſti ſingularitatis tuae gratia conſolatur. Quum itaque noſtris temporibus, ſoli tibi, emeritis laudibus fluat ſonantis ſtili, & heroici carminis copioſa vena, non patiaris labeſcere clariſſimum ingenium tuum, & illud ſcabra tam longae diſſuetudinis torpere rubigine velis: ut nedum nos, qui ornatiſſimae vitae tuae tempo-

po-

poribus ſeu fortunae ſeu naturae gratia fortunati ſumus, ſed poſteri te in aeternum legant, te ſempiternum memorent. Non eſt opus tibi priſco cauſſae operoſae ſtudio meditationis evadere: ut aliquis illorum carminis tui ſolemnitatem celebret. Aetas noſtra plena eſt egregiis geſtis, plena pulcrorum varietate facinorum, plena eſt virorum illuſtrium caſibus, & exemplorum quotidie novorum faſcinis onerosa. Habuit hodie ut compertum habere potes, tum pacis ſtudio, tum armorum diſciplina praeſtantiſſimos viros. Si vero luctuoſam rerum ſpem, qua potiſſime Tragici gaudere ſolent quaeras: occurrant qui regnandi cupiditate incenſi, aut calido rubentes ſanguine ſeditiones, factiones, varia exſilia, varia publicarum rerum, & exterminia optimatum, & Civium non defuerunt oculis noſtris. Quid eſt quod aetas noſtra non auſum, non tentatum, non geſtum, non patratum relinquat admirationi poſteritatis? Exſurge igitur ſtudioſiſſimi tui viribus animi. Tolle te humo ſtili tui altitudine, doctiſſime vates, & occupationibus quibus audio, te volente, te culpante, vehementer angeris, ſolitudinis aliquo ſacrae ſilentio quietis laudabile indicas exſilium. Non velis plus alteri, quam tibi ipſi natum eſſe. Habeo ante oculos multa egregia, & praeclara lucem carminis tui cupientia ſimul & potentia illuſtrare, relictiſque priſcorum geſtis faceriſſimae orationis tuae beneficio facias, ut noſtrorum temporum hominibus divinitati calami tui immortaliter invideat antiquitas. Quod ſi hac ſoluta & rudi oratione, ad haec, ad quae te maiori-

ribus affectibus quam dicendi viribus dulce fuit mihi incitaſſe non movearis, hi filioli mei; quos olim genui, ingenio triſtes, ac oneroſis ſtudiorum curis male peperi, licet ſint remiſſi nunc & tepidi, quondam vero ardentis non ſint pungens calcar ingenii: erunt ſaltem tuae (ut cum pace tua ſic dixerim) tarditati dulcis ſtimulus. Vale & ſi literatiſſima ac ſacra ocia tua nugarum mearum ſtrepitu turbavi: veniam peto. (1)

Incipe, pendentes muſſant ad limina muſae
Expectantque tuo vigiles nova carmina poſte.
Iamque age Cirrei vates digniſſime Phoebi
Limen adi: ſolique tibi patefacta recluſis
Poſtibus antra pete ſacro circumflua fonte:
Incipe cantanti redimitus arundine frontem.
Ipſe ſalit, fluctuſque ſonat frondentibus armis
Aſſurgit ripis & tanto in vate ſuperbit.
Te canit en gemino rupes Parnaſia colle
Te vocat et dignam ſpondent Capitolia laurum.

Tuus ſiquid eſt Franciſcus de Fiano.

FUL-

(1) Haec non eſſe videtur Oratio illa, quae recitata fuit antequam *Colutius Salutatus* laurea donatus eſſet; verius quidem arbitrarer, gratulationem eſſe Amici ſui *Franciſci de Fiano* ut in ſubſcriptione adparet. *Colucius* vero ut in quibusdam monumentis invenitur, quae exſtant apud D. *Simonem Perutium* doctrina non minus quam nobilitate clariſſimum, laureatus eſt in via publica ante Palatium *Perutiorum*, utpote quod poſitum eſt in loco, ubi antiquitus Florentini Amphitheatrum habebant, et uſque dum huius Anphiteatri adparent veſtigia quaedam.

LXVIII.

FULGINATIBUS (1).

AMici cariſſimi. Poſtquam Deus Benignus & miſericors vobis libertatis ſpiritum inſpiravit, vos hortamur quatenus libertatem, qua nihil carius, nihilque divinius cogitari poteſt, veſtra prudentia votis paribus ampleſtatur. Mementote vos eſſe Italicos, apud quos, quum ceterae nationes Regibus ſubiacerent primum libertatis amoenitas pullulavit. Relinquite hanc haereditatem poſteris veſtris, qua nullam poteritis vita dimittere meliorem. Glorioſum eſt, Amici cariſſimi, in libertate vivere, ſed omnium geſtorum glorioſiſſimum eſt ſibi libertatis dulcedinem peperiſſe; per quod nepotibus erit indicta neceſſitas illam quam a vobis acceperint teneantur conſervare. Ceterum per noſtras literas vos recommendavimus magnificis noſtris Fratribus (2) Peruſinis; nec non magnifico Domino Lutio de Lando, quatenus vobis de poſtulatis ſubſidiis debeant ſubvenire, ut iam veſtrae libe-

(1) Paullo ante enim Fulginates a Pontifice defecerunt, & foederatorum partes ſequebantur. Hortatur itaque illos ut in libertate inquam ſe adſeruerunt, conſervanda operam omnem ponant.

(2) Peruſini erant Fulginatibus proximiores, & Lutius de Lando in partibus Marchiae foederatorum ſtipendia militans merebat; ideoque illi, & Peruſinis Fulginates commendat.

liberationi & ſoliditati veſtri ſtatus nihil ſit niſi ſola voluntas, ſi ſecus ſenſeritis, defuturum. Frorentiae III. Octobris I. Indictione, MCCCLXXVII.

LIX.

DOMINO GALEOCTO.

Magnifice Domine Frater Cariſſime. Quamquam omnia quae circa pacem geſta ſunt inter Sanctitatem Apoſtolicam noſtrumque Comune vobis credimus eſſe nota, tamen vobiſcum tamquam cum Fratre praecipuo concluſionem volumus breviſſime declarare. Cum quo enim conqueri debemus duritiam Sancti Patris, niſi cum nobilitate veſtra, qui ſuae ſanctitatis eſtis Filius, & nobis antiquiſſime caritatis habitu verus frater? Evacuatis igitur colloquiis trium menſium, & repentino impetu cunctis quae pene concluſa fuerant in ultimis retractando, Summus Pontifex, qui adhuc deceptioſis ſuggeſtionibus aures praebet, a noſtro Comuni ſolo petit mille millia Florenorum; (1) quod cuncti rebelles & exbanniti reſtituerentur; & quod finita liga non poſſemus nos cum aliquibus, quos ſibi ſubditos adſerit, colligare. Ac noſtris Oratoribus in maxima turbatione mandavit quod de Curia deſcendere non tardarent, moxque in

(1) Hae ſunt conditiones quas Pontifex petebat ad pacem cum Florentinis firmandam.

in iracundiae ſuae fervore octo Christianiſſimos noſtros (1) cives belli pacique auctoritate publica deputatos, quos numquam vidit, numquam de Fidei articulis examinavit haereticos declaravit. Heu puriſſima & veriſſima Fides, certum ad coeleſtia Regna vehiculum; ecce quod ad tui favorem & conſervationem fuit a primis Sanctis Patribus ordinatum, in captionem & offendiculum fidelium eſt converſum! Sed haec alias conqueremur. Nunc autem vobis notum effecimus nos pacem modis omnibus voluiſſe; & pro ipſa redimenda obtuliſſe pro nobis & noſtris Colligatis ſepties centum millia Florenorum, quae ex quo Pater Patrum acceptare non voluit bellum, viriliter proſequeremur, ſpe certa pleni, quod Deus Dominus (2) Sabaoth, qui huc uſque incoepta noſtra felicitavit, erit in medio Caſtrorum noſtrorum, & Paſtorem in dolum derelinquentem Gregem in ſua iuſtitia viſitabit; & gladium ponens ſuper brachium eius & ſuper oculum dexterum eius, brachium ſuum in ariditate ſiccabit, & obtenebreſcentem oculum eius in ſua potentia obſcurabit. Vos autem, Frater Cariſſime, cuius fidem & ſinceritatem agnoſcimus & digno ſatis praeconio extollere non

(1) Tunc enim temporis Florentini octoCives elegerant, qui praeeſſent omnibus rebus, quae bello conducerent opportunis, & hi octo Cives in Pontificis deriſionem vocabantur ab omnibus *gli otto Santi*. Contra hos Pontifex iratus Sententiam excommunicationis fulminaverat.

(2) Bene quidem, nam *Deus exercituum*, *Deus Sabaoth* interpretatur.

valemus ad incoeptorum perſeverantiam exhortamur; & fovendam cauſſam Italiae veſtrae ſinceris affectibus animamus; vobis in veſtris beneplacitis omnem noſtri Comunis potentiam obferentes. Datum Florentiae die VIIII. Octobris prima Indictione MCCCLXXVII.

LXX.

ROGGERIO CANI (1).

NObilis amice cariſſime. Recepimus a magnifico & excellenti Domino cariſſimo Fratre noſtro Bernabove literas cum copia quorumdam Capitulorum, quae veſtra nobilitas adſerebat nos vobis tradidiſſe, tamquam ſuper quibus pro nobis & noſtro nomine operari deberetis; & quod de illorum firmatione noſtra comunitas contentetur; de quo vobiſcum conquerimur, & dolemus. Quoniam illa capitula vobis fecimus exhiberi, non ut ad ipſorum firmationem vel praeſentiam pro nobis aliqualiter veniretis, ſed ut de geſtis per noſtros oratores eſſetis plenius informati, ita quod in reſponſionibus occurrentibus poſſetis cautius vos habere. Nec umquam fuit noſtrae intentionis quod ad conſentien-

(1) De hoc *Roggerio Cane* ſuperius mentio facta eſt Ep. XXXXVII. *pag.* 102. & erat, ut diximus, familiaris Bernabovis, & cum Carolo a Petramala convenit in tradenda urbe Arretina Domino de Concy, vulgo Conciaco.

tiendum ipſa capitula per vos nec per alium procedatur.. Nam ne dum DCC. millia florenorum per noſtros Oratores oblata non intendimus ſolvere propter expenſas graviſſimas quas ob rupturam tractatus pacis incurrimus, ſed ab ipſa quantitate longe pluſquam credatur intendimus diſcedere minuendo. Unum autem plurimum admiramur, quod vos ſcripſeritis quod ſi propterea vellet deſcendere de milione, quod nos octingenta Florenorum millia ſolvere volebamus, quod ſcimus numquam fuiſſe dictum tractatum quomodolibet vel oblatum. Et iſtae vanae intentationes, quae Patri Sanctiſſimo tribuuntur, ſunt & fuerunt maximo pacis impedimento, quoniam aedificatur extra fundamenta intentionum noſtrarum, & quando ad concluſionem adceditur, cuncta ruent. Denique quoniam cognoſcimus fore damnoſum, ſi aliquid ex parte noſtra obferatur quomodolibet vel tractetur, nobilitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus vice noſtri Comunis nihil omnino tractare placeat vel obferre. Et ſi quid forſitan dixiſtis, totaliter revocetis. Vice autem veſtri Domini, non tangendo noſtra facta, nomine noſtro loqui placeat & tractare, ſicut ab ipſius dominatione veſtra nobilitas habuerit in mandatis. Datum Florentiae die XXII. Octobris prima Indictione MCCCLXXVII Quapropter & de praedictis omnibus vobiſcum conquerimur & dolemus. Et ne forſan ad ea quae non expedit prorumpatur, haec omnia vobis volumus intimaſſe, ut conſueta prudentia, poſſit veſtra nobilitas in praedictis operas op-

portunas impendere, & opportunum remedium adhibere. Datum ut ſupra.

LXXI.

REGINAE SICILIAE (1).

SEreniſſima Regina. Magnificum militem Dominum Tucillum (2) Denticem veſtrae ſublimitatis facundiſſimum oratorem ob reverentiam quam ad veſtri throni culmen habuimus cunctis temporibus, & habemus; ac propter maieſtatis veſtrae benignitatem, qua devotionem noſtram proſequitur veſtrae Celſitudinis magnitudo, laeta fronte collegimus, audivimus diligenter, & prudentiſſime per ipſum expoſitis reſponſionem dedimus, quam maieſtati veſtrae circumſpectione ſolita referet, quamque ſperamus veſtrae Clementiae placituram; clariſſimae humanitati veſtrae cum humilitate gratias referentes quanto maiores devotio noſtra poteſt, quae vos reddit erga noſtrum populum maieſtatis veſtrae devotiſſimos filios, tanto zelo tantaque caritate, quantam cernimus, cupioſas. Datum Florentiae XXVI. Octobris prima Indictione MCCCLXXVII.

CO-

(1) Nam Regina Ieruſalem & Siciliae aſſidue per ſuos oratores & Epiſtolas Florentinos ad pacem ſervandam hortabatur.

(2) Gens haec una eſt ex nobilibus Neapolitanis Familiis.

LXXII.

COLUTIUS MAGISTRO PETRO DE MUGLO.

VIr inſignis, Rhetor egregie. Me miſerum, me miſerum, me miſerum! Quid audivi; quid ſtrepitum eſt; quid denique nuntiatum? Ergo Ioannes noſter de Setiis Trivii doctor egregius, tuorumque laborum ſublevator & ſocius de medio ſublatus, & praematura morte natura conceſſit? Dolebam fateor hanc loethiferam peſtem inclitam urbem Bononiam, dulcem patriam tuam, dulciſſimamque nutricem meam tam ſaeve fuiſſe depaſtam. Dolebam tot doctores, tot milites, totque Cives nota dignos, tantamque plebis ignotam multitudinem feralem epidemiam rapuiſſe. Demum tamen putans cladem illam totaliter ceſſaviſſe in ſuperſtitibus conſolabar, gaudebamque urbem liberam infectione, ſalubriori coelo redditam, teque, & illum, aſſumptis tot viris notabilibus remanſiſſe. Sed heu!

L 4 Ne-

(1) Sic legitur in Codicibus MSS. quorum orthographiam in propriis nominibus ſequi viſum eſt; quamquam *Laurentius Mehus* legat alicubi de Mulgo, eumque medicum eſſe Bononienſem adfirmet; quod recte quidem; nam haec Epiſtola illi ſcripta eſt, quum peſtis Bononiae graſſaretur.

Neſcia mens hominum, fati ſortiſque futurae!

Ecce ex integro rediit illa lues; & quam multos veluti turbidus vortex involat Ioannem meum, quem in dies expectabam, cuius cupiebam praeſentia frui, in quo ſoſpite meditabar alloquiis & amplexibus conſolari, tibi & mihi tuaeque patriae repente ſubripuit; noſque (ut ſpero) migrans in coelum in luctu moeroreque, & lacrimis dereliquit. Heu me miſerum! Quis, amabo, tam fideliter ſenectutem tuam ſcholarum laboribus adiuvabit? Quem ſenex habebis concurrentem, vel ſocium, qui invalidae tuae aetati non inſidietur? Sed te dimitto, qui tua mole ſubſidens, aemulorum latratibus reſiſtere didiciſti. Ego vero tanto tamque fido privatus amico, quid faciam? Ubi admodo Ioannem meum alloquar? Anxia mihi & luctuoſa tempora vitae fient quum amiſiſſe talem amicum (quod non erit ſine flaetibus) recordabor. Ex quo neſcio de te, qui me pluribus annorum luſtris praecedens aetate, plura debes fuiſſe perpleſſus; de me ipſo coniecturam capio vitam hominis in dies triſtiorem fieri. Nam ut inquit poeta eximius.

Optima quaeque dies miſeris mortalibus aevi,
Prima fugit.

Et ut vult Satiricus.

Haec data poena diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo moerore & nigra veſte ſeneſcant.

Laetor quod ut audio, bene compoſitis rebus ſuis, & poſita erratorum ſuorum cum

Do-

Domino ratione deceſſit; ut credendum ſit, ipſum Dei miſericordia ab inferis ad ſuperos evolaſſe, ut liceat te & me in hoc ultimo conſolari. Ceterum fidei tuae fuerit, familiam ſuam recommendatam habere. Verus enim amor poſteritatem amplectitur, ac ipſius & amici cineres comitatur. Scio te hoc conſtantiſſime praeſtiturum. Quod ut facias hortor & rogo. Vale diu, & felix, atque mei memor. Inter libros magiſtri Ioannis erat in bombice de litera parva Iuſtinus & Svetonius de XII. Caeſaribus; & in capſa, quam nuper ad eum miſi eſt liber problematum Ariſtotelis. Rogo quod facias ita ut habeam: & pretium quod ſcripſeris mittam.

LXXIII.

EIDEM POGGIO. (1)

POſt haec Poggi cariſſime videtur quod Ser Iuſtus de Vulterris, qui degit in Curia fecerit inſtrumentum laudi, quod latum fuit MCCCLXXXVI. inter Franciſcum Luperi, & Antonium eius filium. Laudum, inquam vel aliam conventionem inter eos. Quare te rogatum velim quod ipſum adloquaris, & fac quod inſtrumentum compellat, & ſecure tran-

(1) Haec eſt quaedam ut videtur, additio ſuperioris Epiſtolae quae eodem die, & anno ſcripta eſt, ut in calce huius Epiſtolae liquido adparet.

tranſmittat, & ego quod voluerit ſibi mittam. Sin autem ibi forſan non haberet acta ſua, fac quod ſcribat mihi, ſcribat & illi penes quem ſunt acta, ut edat, & illi ſicut fuerit conveniens ſatisfiet. Fac oro, quod mihi perficias, & reſcribe. Inſuper negotia fratris Petri noſtri de Senis fac ſollicites, & perficias. Scribo quidem eidem Domino Franciſco pro ut per infraſcripta videbis. Florentiae die VI. Kalend. Martii.

LXXIV.

DOMINO FRANCISCO DE MONTE POLICIANO.

REverende in Chriſto Pater. Scribunt Magnifici Domini noſtri tibi ſicut reverentia tua videbit; Negocium illud, quod univerſi Civibus eſt cordi, mihique gratiſſimum, placeat expedire. Caeterum Pater optime ſicut interclusa copia te docebit. Frater Petrus de Florentia, ex ordine Servitarum cupit gratiam, quam poſtulabat, obtinere. Et ego quidem deſidero ſuis meritis illud idem. Eſt enim aetate mihi filius, Sacerdotio Pater, honeſtate dilectus, virtutibus, & ſcientia clarus, quique nedum hanc temporis gratiam, ſed longe maiora, ſi peteret, mereretur. Neſcio ſi ſummus adeundus Pontifex, an per alium valeat expediri. Pauper eſt, quod men-

(1) Neſcio quis fuerit hic Petrus Monachus Servita.

mendicantium ſumma laus, ſed ſcientificus, & virtuoſus. Amici quidam florenos ſeptem corraſerunt. Eos, ut iubebis, ſolvent, qui regunt numulariam apothecam Antonii del Vigna, & Doffi de Spinis (1). Tu fac obſecro, quod optat impetres, & pro paupere pauperiter expetendas. Nimis etenim gratum eſt, & erit ſi potero hanc ſibi gratiam impetrare. Florentiae VI. Kalendas Martii.

LXXV.

DOMINO FRANCISCO DE MONTE POLICIANO.

Reverende in Chriſto Pater. Per literas, quas noſter Poggius mihi ſcripſit multa ſolidaque mentis alacritate percepi, qualiter fuit in ſcriptorem Summi Pontificis nuper aſſumptus. Quod, quamquam mihi iucundum fuerit, iucundius eſt quod favore tuo; iucundiſſimum autem quod mearum rogationum intuitu literis, & teſtimonio meo fretus, onus hoc quod in te fuit efficaciter, quodque Deo placuit feliciter ſuſcepiſti. Multa mihi grata, multa plena gaudii contigerunt. Difficile tamen poſſum, rem, quae mihi fuerit gratior, reminiſcere. Quum enim ipſum virtute & bonitate ſua poſtquam eum cognovi, receperim in filium, dici non poteſt, quam laetus ſum, quod ſu-

ſci-

(1) Era hi mercatores Florentini, qui Romae commorabantur.

ſcitaverit Deus a terra inopem, ut collocet eum cum principibus, populi ſui. Si ſcires quam adverſa fortuna, quamque diuturna proſtratus pater eius iaceat, & de qua ceciderit amplitudine, Deo gratias ageres. Et ego gratias ago; ſibi quidem, qui inſpiravit, direxit, atque perfecit: Tibi vero; qui tam affectuoſe rem hanc tranſigere ſis conatus. Sublevaſti Poggium, & parentes, fratres, labantemque domum totam uno collapſam, & omnia, illum ſublevans evexiſti. Mihi vero non potuiſſes rem efficere laetiorem. Quamobrem ago gratias. Quod eſt oris, ago quidem gratias nunc. Referam quod rei eſt, non quam primum ſolum potero, ſed quoties Deus dederit facultatem. Habebo quod eſt affectus, & habitus gratias tibi ſemper, nec eas unquam me dici poterit, non habere. Ago, referam, habeo, habeboque non magnas ſolummodo, ſed ingentes. Sed quantas admittens potero ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex totis viribus mei. Ille vero suppleat imperfectum meum, & infinitas ipſas reddat qui poteſt mirabilia cuncta ſolus: mirabiliter enim me conſolatus es. Et illud ſummum, ac infinitum bonum te precor infinite, & mirabiliter conſoletur. Quod ſupereſt, tuum eſt hoc manuum tuarum plaſma, monere, ſapientia dirigere, conſiliis patrocinioque fovere. Scis Curiae ſtilum, quem nulla doctrina niſi Curia ſola docet: Informabis igitur, inſtrueſque Poggium tuum, ne poſſit errare. Scis mores, quo ſibi conſulas, obſecro, quod agendum; ne titubet, & labeſcat. Scis inſidias, ut opus ſibi protectio-

ctionis praeſidio ſit, ne fiat opportunus iniuriae. Tu ſolus ad omnia ſufficis. Tu ſapientia monitor. Tu prudentia conſultor. Tu tua auctoritate protector. In manibus tuis eſt quantum, atque qualem Poggium tuum volueris habere. Doctus erat, & ſi quid diſcendum fuerit, docilem ſcio futurum. Denique, poſtquam cepiſti, te rogatum velim, opificium tuum hoc non deſeras, & oſtendas in ipſo, non ſolum ſi me diligis, ſed etiam quanti facis. Vale felix, & mei memor. Ego ſiquidem valeo, & te propter multa, tum propter Poggium mente ſemper intueor. Iterum vale. Florentiae v. Idus Februarii.

LXXVI.

POGGIO.

GAviſus ſum, & gaudeo, fili cariſſime, hoc pleno periculis tempore te Romam, ut ſcribis incolumem adpuliſſe, teque, quod felix fauſtumque ſit, receptum eſſe inter familiares Reverendiſſimi Patris, & Domini mei Domini Barenſis. Gaudeo quidem te viarum tranſmiſiſſe diſcrimina, tibique nihil extraneum, intrinſecique nihil incomodi contigiſſe. Sed ſuper omnia gratulor, & triumpho te talem in Dominum incidiſſe, qui par benignitate, magnificentiaque nec ſit in Romana Curia, nec alibi poſſit facile reperiri. Tu fac Cariſſime Poggi Dominum tuum colas. Nihil cogites, nihilque facias, niſi quod honorem, & ſtatum reſpi-

ſpiciat ſuum. Quodque videris ei placere, hoc tibi propone veluti fixum, & immutabile ſignum, in quod omnia, quae meditaveris ages, aut facies, dirigatur. Memor eſto praeſtare fidem, perpetuamque fidei committere taciturnitatem. Nihil obſeras, nihil dicas, niſi quod eum ſciri velle cognoveris, quodque ſibi ſit ad famae cumulum, & honoris. Utilitatibus ſuis ſemper conſule. Memor, quod quilibet eſt tanti munera, quanta facit. Haec omnia confido diligentiſſime te facturum. Conſervitoribus autem tuis humilem, & benignum, te fac exhibeas. Nulli praecipe, parum roga. Cave ne cuipiam, etiam ſi fuerit minimus, iraſcaris. Contumeliis abſtine. Iurgia fuge. Super omnia vero obgannire, inſuſurrareque devita. Denique, quo totum uno praecepto complectar, nihil dicas, aut facias, quod latere velis: habet occultandi ſtudium conſcientiae ſcrupulum, annexamque turpitudinis ſuſpicionem. Verum nemini parcas velim, ſi ſenſeris aliquid contra Dominum agitari. Si potes id prohibe. Si minus forte ſucceſſeris, revelato. Fac etiam ſolicitudine, diligentiaque non vincaris, ſed omnes ſuperes. Vigila, ſtude ſuper agendis. Non te ſomnus adripiat. Suaviſſima poſt laborem, quies. Adoleſcens es, ſi tamen voles nemo virilitatem deſiderabit tuam. Haec ſatis. Spero te quidem ſic acturum, quod Domino carus, familiaeque gratus, omnibuſque dilectus eris. Ago gratias de Caſſis illis titulum quarum tam copioſe, tam celeriter tranſmiſiſti. Video quidem te pauco tempore nobis urbem totam antiquis epigrammatibus tradi-

diturum. Vale, & Domino tuo me quoque humiliter recommenda, cui velim, obſeras hunc ſervum. Florentiae x. Kal. Ianuarii. Ciceronem meum, tuo labore, Iacobi noſtri munere, novit Deus, quam avide, quamque impatienter expecto.

LXXVII.

SER GUIDONI DE PETRA SANCTA.

Quotidie magis experior, vir inſignis frater, & amice cariſſime quod magis adſpetimus, ſecum adferre tum oneris, tum obligationis. Filios, quod infra nos eſt, habere cupimus. Quam grave, quamque curis, & laboribus id plenum ſit, tu teſtis, teſtis & ego; nec ex nobis ſolum experimur, ſed ex aliis rerum, & exemplorum multitudinibus commovemur. Siquid autem ſupra nos quaerimus, ut ſunt Dominia, praeſidatus, & dignitates, quali, quantoque tumultu, tum agibilium, tum ſuſpicionum obruamur, dum ea petimus, aut exercemus, omnium iudicium eſſe poteſt. Fidelius tamen, & certius eorum in quibus iſta contingunt, vel qui propinquius eis adſident, & ſolet, & debet eſſe. Quae quia tibi nota ſunt, non expedit declarare. Uxores autem amici intimi concivis noſtri, & univerſa ſocietas hominum, qui iuxta nos ſunt, quot, & quantis nos reddant obnoxios, cuncti qui convivunt, & viventibus coutuntur agnoſcunt. Ut mirari

ri non debeas ſi mutuae dilectionis qua nexi ſumus affectibus, aliquid adferat oneris, & crebrus, quam cupiam, aut deceat occupationis. Proinde Ser Franciſcus Vanius de Ancharano mihi notum fecit officium, quod ut miles ſocius cum poteſtate noſtrae civitatis exercet. Carum autem immo cariſſimum. Multa viri virtus, quam quotidianis experientiis huc uſque praeſetulit. Hic, ut audio, neſcio quod officium in Lucana Civitate procurat. Et quia vere dignus eſt, cui etiam maxime partes cuiuſcumque Reipubblicae committantur, te rogatum velim, quatenus, ſi tibi mens eſt bene ſuper eo quod deſiderat patriae provideri, nihilque placere ſibi quo voti compos fiat, favoribus tuis adſiſtas. Glorioſiſſimum equidem mihi reputabo, ſi ſuarum virtutum meritis aliquid favoris me ſenſerim adieciſſe. Vale mei memor, & communi Domino quam efficaciter recommenda. Dicerem de Nonio Marcello, quod cupio, niſi novitates illae domeſticae perficiendae rei ſpem; ne dicam, auferrent; valida coniectatione differrent. Id tamen ſit, obſecro, tibi curae. Florentiae XIV. Kal. Novembris.

DO-

LXXVIII.

DOMINO GALEOCTO (1)

MAgnifice Domine Frater cariſſime. Reſponſivas veſtras literas nos ad pacem cum Sancta Matre Eccleſia graviſſimis ſententiis exhortantes nuper accepimus, & cuncta quae ſcribitis certiſſime ſcimus ex verae caritatis penetralibus prodiviſſe. Miramur tamen, quod quum clariſſime poſſitis advertere pro pace habenda nos quantum fuit poſſibile laboraſſe, obſerendo etiam, quod inaudi-

(1) Haec Epiſtola ſcripta *Galeocto Malateſtae Ariminenſi*; qui licet cum Pontificiis copiis militaret & apud Cardinalem Genevenſem, qui exercitum Pontificium ducebat in ſummo honore haberetur, tamen Britonum laſciviam, rabiem, avaritiam, aliaque immenſa facinora odio proſequebatur, una eſt ex elegantioribus quas *Colucius* exaraverit. Nam *Galeoctus* Florentinos ad pacem incitabat, & fortiſſimis argumentis oſtenditur, cur a Florentinis tam deſideratae paci aures non praebeantur. Erat enim Galeoctus amicus Florentinorum; ſed poſtquam Britones, Ceſenam urbem, quae ultro Eccleſiaſticas copias introduxit, hortante ipſo Galeocto, & Ceſenatibus veniam tranſactae rebellionis promittente, depopulati ſunt, omnem urbem, Cives & omnia ferro & caede vaſtantes; eorum furorem ferre non poterat, ideoque Epiſtolam hortatoriam ad Florentinos miſerat, pacem cum Eccleſia componere illis ſuadens.

ditum eſt, & pro nobis, & Colligatis noſtris ſepties centena millia Florenorum; quod noſtri Socii Eccleſiam in Dominam recognoſcerent, & Maiorem; & quod tranſactis ſex annis, infra quod tempus dictam pecuniam ſolvere volebamus, de conſuetis cenſibus reſponderent; & multa alia, quod longum eſſet inſerere; nos, quaſi pacem fugiamus, veſtra Fraternitas ad concordiam exhortatur. Miramur etiam vos fundamentum facere, quod Summus Pontifex pacem adfectet, ad quam nec prece, nec pretio potuit inclinari. Si haec nobis ſcriberentur de ultimo terrarum litore, aut ab Antipodibus (1) ſi fas eſt credere in inferiori Hemiſphaerio mortales aliquos habitare) parumper nos cogerent admirari. Nunc autem quod vos, in cuius pene oculis omnia geſta ſunt perſuaseritis vobis per nos concordiam remanſiſſe, miramur, conquerimur, & dolemus. Voluit ne pacem Summus Pontifex, qui petiit, quod noſtrum Comune ſe ad mille Florenorum millia perſolvenda ſuo nomine deberet, ad tempus triennii ſpecialiter obliga-

ga-

(1) Videtur apud viros doctos etiam illis temporibus ſententia de Antipodibus invaluiſſe, quam aperte adſerere verebantur. Nam *D. Auguſtinus*, aliique negabant regiones in inferiori Hemiſphaerio poſitas ab hominibus habitari, eo quod non viderent quomodo in illas inacceſſibiles regiones homines Adae filii contendere potuerint.

gare (1)? Qui voluerit nos a foederibus & Societatibus inhoneſte diſcedere? Et quaſi non intelligamus quorſum evaſura ſua foret intentio facultatem nobis colligandi in poſterum duxerit ſpecialiter inhibendum? Quique petierit quod centum noſtros Cives volebat eligere, & totidem de ſingulis aliis noſtris & colligatorum noſtrorum Civitatibus nominare, qui ſupplices ad praeſentiam ſuae Sanctitatis accederent miſericordiam petituri, quique de obſervandis in iungendis poenitentiis ſolemniter obligarentur. Scimus certe quod non Codros, non Curios non Fabricios nominaſſet, ſed Craſſos potius, (2) Ceros, & Darios electurum. Sed haec omittamus. Manifeſto quidem experimento percepimus hunc Chriſti Vicarium pacem labiis praedicare, cor autem ſuum longe a concordia retinere. In illum convertatur ille veſter graviſſimus ſtilus; ille exhortandus ad pacem eſt, quam multis tergiverſationibus effugit & refutat. Scimus dubiam ſemper eſſe victoriam & de ea neminem poſſe, niſi totaliter deletis hoſtibus, gloriari. Scimus equidem

M 2 poſt

(1) Hae ſunt conditiones, quas petebat Pontifex ut pacem Florentinis, aliiſque foederatis concederet.

(2) Scilicet non pauperes & egenos cives, verum locupletes, & ex primariis Civitatis. Nam Pontifex in Florentinos ira exardeſcebat, eo quod urbes quamplurimas Eccleſiae ad rebellionem exſcitaverant, & adhuc, niſi Pontifex aequas conditiones daret, in rebellione tenebant. Quare antequam pacem firmarent, Florentini ſuam, ceterorumque foederatorum ſecuritatem quaerebant

poſt multas clades, & plurimos deletos exercitus Romanos ſuperaſſe Carthaginienſes ſexto decimo paene anno in Italia multis victoriis triumphantes. Scimus Cyrum poſt multas victorias Thamyrae viribus cecidiſſe. At nos vincere non quaerimus; ſed ſola defenſione contenti iniurias volumus propulſare. Melior eſt certa pax, quam ſperata victoria, ut Hannibal inquit. Sed certe periculoſior eſt inſidioſa concordia, quam acerrimum & diutinum bellum. Nec credatis adeo nos in diem vivere, quod futuros non recogitemus eventus? Scimus Eccleſiam multa poſſe: credimus Summum Pontificem multa in ultionem ſuam, & deſolationem Italiae cogitare. Sed diſſipat Dominus iniquitatis conſilia, & ea convertit in illorum capita a quibus primordialiter prodiverunt. Si vicerimus laborioſum erit conſervare victoriam, & perpetua nos cura & ſolicitudo tenebit. Sit ita, ſicut veſtrae literae fideliter ominantur. Nobis tamen carior eſt contentioſa libertas, quam ſervitus otioſa. Imminebit hoſtis ditior & forte potentior; Et nos potentiae potentiam opponemus, oſtendentes Florentinorum libertatem poſſe hoſtiliter impeti, ſed non ſic facile ſuperari. Denique quoniam haec ſupra hominum vires ſunt, in manibus Dei erunt. Ipſe iudicet cauſſam Populi ſui, & in ſua miſericordia noſtram tueatur nobis & noſtris poſteris libertatem. Unum relinquere nolumus, quod ſentire videmini Summum Pontificem poſtulaſſe, quae Fidem Chriſti, Clerum, & Eccleſiaſticam reſpiciant libertatem; & ea nos minus honeſte,

ſicut

ſicut ſcribitis denegaſſe. Et ut omittamus, ſic obſervandam Eccleſiaſticam libertatem, quod libertas naturalis Populorum nihilominus non laedatur, ſic fore pro fidei conſervatione ſtatuendum, quod fideles cum calumnia non plectantur. Debuit ne Summus Pontifex petere, quod ordinamenta a noſtris decreta maioribus, quae etiam utpote in omni parte ſanctiſſima, multi Romani Pontifices, & ipſe idem, quando turbatus non erat ex certa ſententia longis retro temporibus conſenſerunt, deberemus per pacis foedera revocare? Ea tamen oblatum fuit quod ſi correctione forſitan indigerent, quoniam Sanctitati non turbatae placuerit, nos taliter correcturos, quod ſua deberet clementia merito contentari. Sed durum erat in ſua turbatione corrigere, quae fuerant a progenitoribus noſtris ſaluberrime conſtituta. Caritati tamen veſtrae gratias agimus de tam fidelis impenſione conſilii; vos inſuper deprecantes quod vinculum amoris, quod vos & veſtros Communi noſtro devinxit in vobis ut ſperamus & veſtris poſteris conſervetis: quoniam a Communi noſtro conſuetos certoſque favores poteſt veſtra Fraternitas exſpectare. Datum Florentiae die XXVI. Octobris p. Indictione. (1)

(1) Haec Epiſtola acrius, quam deceat obedientem filium in ſummum Pontificem univerſalem patrem ſcripta eſt.

LXXIX.

GENERALI SERVORUM B. M. V.

REverende in Chriſto pater. Frater Petrus Baccalarius Florentinus venit ad vos, quem ſuis virtutibus ſingulariter diligo. Quumque mihi ſit, aetate filius, religione frater, qua ſumus omnes fratres in Chriſto, Sacerdotio pater, graduque prope magiſterium maior, ipſum benignitati tuae, quam affectuoſius valeo, recommendo. Summe quidem mihi gratum erit, quod virtutum ſuarum meritis aliquid gratiae favoriſque accepero. Tetigi quidem in ipſo mirabilem bonitatem, maturumque ſenexque conſilium, acumen ingenii, gravitatem, & dulcedinem in ſermone, ardentemque ſciendi cupiditatem. Scitis quantum adiicit bonae mentis diſpoſitioni favor; ut quum pater, & caput ſitis omnium ſubditorum, & fratrum; & virtus honor ſit, & gloria totius regulae, cunctorumque fratrum, & ordinis, debitum vobis ſit hortari, iuvareque quos videtis emergere, quos vehementius cupiant ad optatum terminum pervenire. Honos alit artes, ut inquit Cicero, incenduntur que omnes ad ſtudia gloria. Siquidem eſt honor calcar ad curſum. Honor eſt exacti iam curſus meritum Ille laborantibus adeſt, & inſtat: Hic vero comitatur emeritos, & delectat ante finem. Hic oſtenditur: Ille datur. Poſt finem autem, ille tranſit;

ſit; Hic manet. Ille memoria dulcis; Hic praeſentia mulcet. Ille faventis eſt domini; Hic vero retribuentis officium. Ille caritatis munus liberum; Hic iuſtitiae nos obbligantis impenſum. Sed haec ſapienti ſatis, & ſicut optimo Patri ſuperflua. Valete, & orate pro me. Filius enim veſter ſum. Florentiae XIV. Kal. Octobris.

LXXX.

EPISCOPO FLORENTINO.

REverende in Chriſto Pater & Domine mi. Vidi, gaviſuſque ſum elegantiſſimam illam orationem veſtram, quam mihi dignatus fuiſtis veſtra benignitate tranſmittere; quae quum mihi iucundiſſima fuerit admirationi non modicae mihi fuit, & complacentiae. Miratus equidem ſum altiſſimas ſententias, ſtili novitatem, & ſenſus, ex altiſſima divinarum ſcripturarum abyſſu depromptos. Quos apud aliquos hactenus poſſis doctores, ſive magiſtros noſtrorum temporum, vel antiquos, ubicumque te verteris, invenire? Et quum omnia placeant, ſuper omnia gratum erit, quod more fratrum, ille ſermo rythmica lucubratione non ludit, non eſt ibi ſyllabrarum aequalitas, quae ſine dinumeratione fieri non ſolet; non ſunt ibi clauſulae, quae ſimiliter deſinant, aut cadant. Quod a Cicerone noſtro non aliter repraehenditur, quam puerile quiddam, quod mini-

me deceat in rebus ſeriis, vel ab hominibus, qui graves ſint adhiberi. Benedictus ſit Deus, quod ſermonem unum vidimus hoc fermento non contaminatum; Et qui legi poſſit ſine concentu, & effeminata conſonantiae cantilena. Non multum tamen hoc dicendi genere delector, quod ad aures multitudinis accomodatum eſt. Cupio tamen ſermonem de fine ſeculi, quem multi ſingulari commendatione celebrant, videre. Quare ſi grave non eſt, ingentis doni gratificaberis. De Ser Manno Dominici ad locum ſuum in officio curae veſtrae reſtituendo, erit mihi cariſſimum. Fratrem meum Ser Antonium Ser Chelli tunc oratorem noſtri Communis gratioſiſſime reſpondiſtis vos eum primae vacationis tempore recepturum. Nunc autem Ser Antonius de Vuſparia, unus ex notariis noſtris, migravit ad Dominum; ut ſecundum promiſſa debitum vobis ſit ſupplicationum mearum cum exauditionis beneficio reminiſci. Dignetur igitur Reverentia veſtra Ser Mannum praefatum ad ſedem ſuam, vel ſaltem ad nuper vacuam per veſtras litteras deputare. Quo ſemel non auditus ſolum a clementia veſtra ſim, ſed ſicut ſpem ſemper habui, realiter exauditus. Habebitis enim ſervum aetate maturum, temporis experientia doctum; fideliſſimum, atque frugi, mihique paternitatis veſtrae filio atque ſervo nunquam obliviſcendam gratiam facietis. Florentiae VI. Idus Septembris.

LXXXI.

SER GUIDONI DE PETRA SANCTA.

VIr inſignis frater, & amice cariſſime. Dulciſſima res amicitia eſt, ſed onerosa, ſed quotidianis obnoxia, ſubiectaque ſervitiis. Non enim ſufficit, ſi tuis, & etiam amicorum, amicis morem geras, ſed inſtant amicorum benevoli, quodque latius patet, inſtant & noti. Quod ſi iuſti forent, quibus vel auctoritate publica, vel conventione privata iudicare contingit, levarentur amici ſuis occupationibus, & eorum, qui pro deſideriis ſuis amicorum operas interponunt. Quod quidem, licet quotidie videas, & experiare; praeſens requiſitio te monebit. Eſt in manibus tuis quaedam controverſia Ptolemaei, & matris eius, quam videntur cum Lapo Moſtardae pro certis pecuniis nunc habere. Velis igitur eumdem Ptolemaeum, & matrem ſuam in iuribus eorum favorabiliter ſuſcipere recommiſſos. Non gravo conſcientiam, nec rectitudinem iuſtitiae velim obliques; ſed ubi ius faveat, quoad iuris, conſcientiaeque permittit ratio, praeſtes oro. Gratum enim erit, ſi vel in iſtis, me ſibi viderint profuiſſe. Vale, frater cariſſime, memor Nonii Marcelli, quem beneficio tuo cupio, & ſpero. Florentie VII. Kal. Februarii.

ARE-

LXXXII.

ARRETINIS.

AMici cariſſimi. Quotidie apud nos creſcit rumor & augetur infamia, quod dolenter audivimus, moeſtiſſime ſcribimus, & anxietate cordiali ab intrinſecis viſceribus propalamus, inter vos diſcordibus ſtudiis adoleſcere civile diſſidium, quod tranquillitatem veſtram perturbat, hoſtibus tam domeſticis quam extraneis ſubverſionis veſtrae ſpem praebet, & nedum ſtatum & libertatem veſtram ſubiicit manifeſto periculo, ſed certiſſimam praecipitat in ruinam. In cuius rei perſeverante relatu, quanta perfundamur amaritudine, ſcribere non valemus. Quid erit amici cariſſimi? An propter aemulationes domeſticas, quas ſaepe vanus timor, falſaque ſubſpicio, aut rei cuiuſpiam quae nihil poteſt importare contentio turbatis animis excitat in periculum ponetis Continens & Contentum? Heu heu viri, circumſpecti! An vos fugit quinam circumvolent hoſtes, quali animo, qualique potentia? Nonne ſcitis, ipſos quaſi Leones rugientes, vos quotidie circuire, ut in ſua crudelitate devorent & abſumant? Cogitate parumper: ſi quod abvertat: quod non ſine horrore referimus in punitionem veſtrae diſcordiae iuſtitia divina promiſerit, quod hi hoſtes acerrimi, quos undique vobis inſidias cognoſcitis machinari, dum contenditis, dum certa-

certatis in veſtram inruperint civitatem; quis veſtrum crudelitatem hoſtium devitabit? Conſueverunt hoſtiles claſſes ſimul ad pugnam diſpoſitae, ſimul etiam nexibus ferreis adligatae, iam eminus omiſſo fremitu baliſtarum, lanceis pilis & gladiis; cominus pugna conſerta, ſi maritima ſupervenerit forte tempeſtas bellum omittere, & imminentis timore naufragii pugnandi inſtrumenta colligere, explicare vela, excutere remos, claviſque regendis diligentius inhaerere. Vos autem dum circum tonant undique belli fulmina, dum vobis cernentibus, quotidie hoſtiles inſtruuntur inſidiae, increbreſcente inter vos inteſtino malo a concertatione domeſtica non ceſſatis? Quo circa vos per ſalutem veſtram, per libertatem & tranquillitatem patriae, per hoſtium veſtrorum confuſionem, prudentiam veſtram cordialiter requirimus & rogamus, quatenus haec odia; ſicut in tanto rerum periculo convenit omittentes, haec diſpendioſa certamina deponatis. Pauci quidem; reſpectu molis rerum quae vos urgent; pauci (1) quidem eſtis, & vix etiam inter vos vigente concordia ſubſecturi. Et ob id cedite neceſſitati, concordiamque veſtram, quae ſola tantae cladis reme-

(1) Et ſane ob civiles diſcordias, paullatim increbreſcentes in dies, Arretium libertatem amiſit anno MCCCLXXXIV. ut alibi notatum eſt, a *Conciaco* captum, & deinde Florentinis pretio datum; unde hae Arretinae diſcordiae in utilitatem ceſſere Florentinorum, dum propter illas eorum Imperium dilatatum eſt.

medium eſt conſilio melioris mentis opponite. Ceſſabunt etenim, ſi fuerit inter vos unitas, immediate pericula, & civitas veſtra languida & huiuſmodi factionibus pene confuſa in proſperitatem optabilem reflorebit. Datum Florentiae die VI. Novembris prima Indictione MCCCLXXXVII.

LXXXIII.

PERUSINIS.

Magnifici Fratres Cariſſimi. Per ſociorum noſtrorum literas nuper accepimus, quod & quanta in honorem noſtrum & gloriam veſtra magnificentia cum opportunis conſiliis ordinavit. In quibus, fratres Magnifici, quamvis nos tali non dignemur honore, tamen quia, ut ille ait, nulla tanta humilitas eſt, quae gloriae dulcedine non tangatur, noſtrae mentes multipliciter exultarunt. Quis enim in tantae cumulatione gloriae non laetetur! Quis non cum iubilo ſummo percipiat tot & tanta in ſuae famae praeconium ordinari? Praeſertim quum a tam inclito populo ſponte proceſſerint in commemorationem perpetuam meritorum? Addatur inſuper quod haec cuncta nobis inſciis & ignaris, & tantae rei decus non ſperantibus provenerunt. Sed quid ulterius in commendatione veſtri decreti verſamur; quod hoc non poteſt ſine noſtrarum laudum praeconio celebrari? Abſiſtamus igitur, & quod reſtat Epiſtolae

lae ad actionem gratiarum longe decentius convertamur. At quoniam haec veſtra proviſio omnem menſuram humanitatis exceſſit, & dignas rependere gratias non poſſemus, ad omnium rerum opificem Deum devotis animis recurramus, quatenus pro tot meritis praemia vobis non digna retribuat, libertatem veſtram confirmet, ſtatum veſtrae Civitatis exaltet, & vos in animorum perfecta contineat unitate. Nos autem quicquid ſumus, quicquid poſſumus & valemus, tam publice quam privatim ad veſtra beneplacita obſerimus cunctis temporibus praeparatos. Datum Florentiae die VI. Novembris prima Indictione MCCCLXXVII.

FINIS PRIMAE PARTIS.

ADPROBATIONES.

DOminus Io. Lamius, Publicus Hiſtoriae ſacrae, & Eccleſiaſticae Profeſſor, legat, & videat an permitti poſſit, ut excudatur liber qui inſcribitur. *Lini Pierii Colucii Salutati Epiſtolae*, & referat.

Ex Aedibus noſtris die 20. Decembris 1741.

Iulius del Riccio Vic. Gen.

Die XXIV. Decembris 1741.

IUſſu Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Vicarii Generalis Librum perlegi, cuius titulus: *Lini Pierii Colucii Salutati Epiſtolae*, &c. & nihil in eo offendi quod Chriſtianis placitis, & bonis moribus adverſetur; quare publica luce dignum cenſeo.

Ioannes Lamius Publicus Hiſtoriae Sacrae & Eccleſiaſticae Profeſſor.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur

Iulius del Riccio Vic. Gen.

EXcellentiſſimus & A. Reverendiſſimus Dominus Ioſeph Maria Roſſi S. T. Doctor. Collegiatus, Filius S Inquiſitionis Florentiae Conſultor, videat attente pro S. Offic. *Lini Colucii Salutati Epiſtolas*, & referat.

Dat. in S. Inquiſit. apud S. Crucem 30. Octobris 1741.

F. Franciſcus Antonius Benoſſi Min. Conv. Vic. Gen. S. Off. Florentiae.

EA, qua par erat diligentia de mandato Reverendiſſimi P. Inquiſitoris Generalis has Epiſtolas legi *Lini Coluccii Salutati* Viri Doctiſſimi nihilque in eis animadverti, quod Regulis S. Indicis Congregationis adverſetur. In quorum fidem &c.

Die 24. Novembris 1741.

Ioſeph M. Roſſi S. Inquiſitionis Conſultor.

Stante Superiori atteſtatione imprimatur.

F. Franciſcus Antonius Benoſſi Min. Conv. Vic. Gen. S. Offic. qui ſupra.

Carolus Ginori pro Reg. Celſ. vidit.

JOSEPHI RIGACCII

Ad ſuum Primum Epiſtolarum Coluccii Salutati Volumen Appendix.

Lini Coluccii Pierii Salutati *Epiſtolas quaſdam exhibeo tibi, Amice Lector, ſerius quidem, quàm par fuerat, & in animo habebam; ſed controverſiis variis inter me &* Laurentium Mehus, *qui mihi in exſcribendis Epiſtolis ex* Codd. MSS. *Amanuenſis operam praeſtabat, obortis impeditus, non potui niſi in longum tempus protrahere hanc editionem meam, & literatorum virorum, qui in anteceſſum pretium mihi huius voluminis contulerant, deſiderio citius ſatisfacere.* Nam ego violare fidem, *ut inſolenter impudenterque* Mehus *ille iactitat, non ſum adſuetus; & quum ob iniquas inhoneſtaſque conditiones, quas mecum ille firmaverat, pacta & conventa reſcindere coactus eſſem, antequam huiusmodi Epiſtolarum editioni manum admoverem, neceſſe fuit aliquos viros doctrina & eruditione praeſtantes reperire, qui mihi pro virili quidem laboranti, ſed aliis multis negociis diſtento, opem ferrent, ne barbaram, mancam, imperfectamque collectionem, ut mihi accidit in ſuperioribus volu-*

minibus Epiſtolarum Leonardi Arretini (*quas, ſi Deus faxit, emendatiores olim edam*) *quibus* Mehus *operam navabat, in lucem darem*. Nam, *ut plura praeteream, quae Auctores tam Ephemeridum Literariarum Florentinarum, quàm Ephemeridum Amſtelodamenſium, iure merito in illa Mehuſiana editione improbant; non erat hoc onus, quod eius humeri ſubferre poſſent, utpote qui nullo doctrinarum genere inſtructus, ſolùm in Catalogis, & Elenchis librorum evolvendis dies conſumit & tempus inutiliter terit; & exactam veramque eruditionem egregiasque artes ac diſciplinas inridet; doctiſſimosque viros, qui harum acquiſitioni laudabiliter inſudarunt, flocci pendet, & damnat*. Heinc *eſt quod* Geometria, *Philoſophia, Iurisprudentia, & ſacrarum literarum ſtudia, apud illum nomina ignota ſunt, & barbara, & peregrina. Quin nec hiſtoriam callet, nec Graecas literas novit, & Latinas vix attigit*. Ne *autem eum calumniari, & potius odio impulſus, quàm veritate ductus, de* Laurentio Mehus *iſta praedicare videar; en teſtes locupletiſſimos produco, menda, ſphalmata, hallucinationes, quibus eius editio Epiſtolarum* Coluccii *paſſim ſcatet; quae quum & in Editione Epiſtolarum* Leonardi Arretini, *non minus, infrequentiusque exſtent; tamen ex hoc potiſſimum* Coluccii *volumine ea notanda mihi duxi, quod hoc caſtigatiſſimum edere, & in eo omnem ſuam induſtriam ponere, ut editionis meae luminibus officeret, ſibi ille propoſuerat. Ea ſunt, quae ſequuntur cum mea correctione*.

Erro-

	Errata	Corrige.
Pag. 19.	eleemoſinis	eleemoſynis.
21.	eleemoſina	eleemoſyna
23.	Santitas	Sanctitas
28.	Poligamiae	Polygamiae
29.	genitale thorum	genialem torum
33.	Apeninigenam	Apenninigenam
42.	Nicholai.	Nicolai
44.	incoepta.	incepta
45.	miratum iri	miraturum
49.	maechantes	moechantes
——	Prothocollo	Protocollo.
——	carthulis	chartulis
50.	contractatione	contrectatione
——	contractationis	contrectationis
53.	Polimetro	Polymetro
55.	Quomolibet	Quomodolibet
——	quaeque facimus	quae facimus
58.	Varro noſter	Maro noſter
65.	Quod in vobis eſt tuis.	Quod eſt in tuis
67.	non autem emiſi.	non autem amiſi.
71.	Haee	Haec
73.	Invehere	Invehi
75.	Inſenſabilitas.	Inſenſibilitas
76.	*Quis notus nimis.*	*Qui notus nimis.*
79.	Fortune	Fortunae
81.	Extimationem	aeſtimationem
83.	propiae.	propriae
——	per divorum praecipitia.	per clivorum praecipitia.
84.	repraeſentet.	repraeſentent.

86.	continentur	continetur
87.	Vae tibi videaris	tibi videaris
88.	Conſumate, conſumatiſſimum.	Conſummate, conſummatiſſimum
95.	Spumas talis aere ruebant.	Spumas ſalis aere ruebant
96.	Ethimologiam.	Ethymologiam.
97.	Epythetum.	Epithetum
102.	Lucillium	Lucilium
103.	Gallianusque tuus.	Galenusque tuus
115.	graphyca.	graphica.
116.	eleemoſina.	eleemoſyna.
117.	veſtrae ſanctitas.	veſtra ſanctitas.
120.	Sybilla.	Sibylla.
125.	feditatem.	foeditatem
126.	illaque genuerunt.	illaeque genuerunt.
——	Cayn	Cain
128.	excultiſſimus	excultiſſimos
131.	Honofrio	Onuphrio
132.	quam hortatorem	quem hortatorem
133.	conſumataque	conſummataque
——	Monaco	Monacho
134.	coeſtens	conſtans
139.	cartulis	chartulis
140.	incoeptam	inceptam
——	cartulis	chartulis
142.	fecundior	foecundior
143.	Epytaphium	Epitaphium
144.	Emanuele Cryſolora.	Emmanuele Chryſolora
147.	obliviſci	obliviſcerer
153.	honeſtatae cauſae.	honeſtae cauſae.
——	leticia.	laetitia.

Quis

Quis autem poſt tot, & tam crebra, & inſignia, & ſententiam ſaepe turbantia & corrumpentia, menda, adeo ſtolidus iniquuſque rerum aeſtimator ſit, ut ſtatim non fateatur, ita ſcientia, iudicio, diligentia Laurentium Mehus *deſtitutum eſſe, ut a me abiici meruerit, tamquam operi, quod moliebar, minus idoneum, & ſola ſui iactantia typhoque cenſendum? Quis mecum pecuniam meam non tam impenſam quam deperditam, dum hunc ſtudiorum meorum ſocium ſtipe conduxi, non deploret, ac lamentetur? Omiſi innumeros alios errores, quos per totum Epiſtolarum contextum frequentiſſime diſperſos offendi, dum ille inemendatorum corruptorumque Codicum ſcriptionem erraticam ſequitur, quod tantum ingenii doctrinaeque cenſum non habeat, ut loca corrupta, & male ſcripta vocabula, reſtituere poſſit. Nec illud refugium* Mehus *habere poteſt, quo iſtorum errorum culpam in Typothetas inſontes reiiciat; quum errores conſtantes ſint, nec ille eos unquam correxerit, & Mehuſianam tantum ignorantiam praeſeferant. Sed quod minime ferendum videtur, eſt quod huiuſmodi errores & ſphalmata non librariis indoctis, ſed eruditiſſimis viris* Leonardo Arretino, & Coluccio Salutato, Laurentius Mehus *per ſummam calumniam impudentiſſime adfingit. At* Leonardum Arretinum *Ephemeridum litterariarum Florentinarum Scriptores doctiſſimi a tanta iniuria merito vindicarunt; nunc opus eſſet ut ego tantum probrum a* Coluccio *averterem. Sed labori huic vult ipſe* Coluccius *ut parcam, & ipſe ſeſe ſuis verbis a calumniatore* Mehus *defendere non ſuperſedet. Negat ſapientiſſimus* Coluccius *ſui ſeculi orthographiam ſequendam eſſe, ſed illam quae aureis purae Latinitatis temporibus vigebat: negat*

 etiam

etiam eam ſequendam, qua ipſe utitur, quod minus exactam eſſe ingenue fateatur; neget aperte minus nos de orthographia eſſe debere ſolicitos, ſed in ſcriptione Latinorum, Graecorumque nominum labi, turpiſſimum exiſtimat: quaſi jam divinaſſet Laurentium Mehus *olim quemdam futurum, qui ſua & aliorum ſcripta non tam exſcriberet, quam deformaret, non tam ederet, quam corrumperet, atque infamaret. Audiamus igitur* Coluccium, *Epiſtola XIV, ad Ioannem Converſanum Ravennatem loquentem:* Non igitur conferas, inquit, moderna tempora vetuſtati, cum in multis, tum in hac maieſtate dicendi. Uſus equidem modernorum nulla ratione nixus eſt, qui cum ſibimet conſtare non poſſit, ſed de ſede facile moveatur, incertus, & inconſtans, ſibi penitus inconſentiens, antiquitati ſolidae, priſcique temporis, uſui, imo rationi nec poteſt, nec debet, ſi veritatem adſpicias, comparari. Habes nunc de tota materia locutionis huiuſce meam cum ratione ſententiam. *Epiſtola vero XIX, haec habet:* Principio quidem velim ſcribendi recte, quod orthographiam vocant, diligentiam habeas. Quod ut facias conſidera compoſitionem, ut cum commune, de munus & con, unitum ſit, per duo m, non per unum ſcribi debeat. Sic & communicare, quod ab illo deductum eſſe conſtat. Sic cum ex at, & traho verbum hoc attraho componatur, non unico, ſed gemino T ſcribi debet. Et exhibere, quoniam ab ex, & habeo perficitur, adſpirationis notulam non amittit. Sic & alia infinita, in quibus non ſcriptor tuus ſolum, ſed ut plurimum errant omnes. Oportet etiam

con-

conſiderare tempora ſyllabarum, ut ſi brevis ſit, qualis eſt prima verbi colo, quod per eius compoſitum excolo clarum eſt, non duplicetur cum ſcribitur illud L; Collo quidem dativus & ſextus eſt, vocabuli collum, non aliqua vox verbi colo, in quo quidem Ligurum vitioſa ſcriptura eſt. Neceſſarium etiam eſt & derivationes inſpicere, & varias inflexiones, ut qualiter quaelibet ſcribi debeat dictio cognoſcamus. Nam cum praeteritum iſtud ſumpſi, a prima verbi voce veniat o mutata in pſi, neceſſe ſit per unicum m ſcribi, quoniam ante pſi, nec m, nec alia poſſit litera geminari. Nec hanc orthographiae diligentiam parvi facias. Nimis enim ineptum eſt cum maiora profitearis, in minuſculis labi, cumque dicere velis unum, ignorantia literaturae ſenſum alium explicare. Nam cum hominum conſpiratio ſecta ſit, a verbo ſequor ſenſu, literiſque traductum vocabulum, quam ſupinus error eſt per orthographiae neſcientiam dicere: Quid denique loquar ſeptae huius mordacitatem tangendo luporum, quoniam ſepta clauſtra ſunt a ſepiendo dicta, quod illi loco non poteſt aliqualiter convenire. Purga precor igitur hoc frumentum, & ſint illa, quae ſcribis taliter defaecata, quod nihil poſſit inter ea, quae tibi, vel aliis ſcripſeris, literis notatum inconvenientibus reperiri. Tetigi tibi quaedam, quae facile poſſis agnoſcere, quo diſcas uno conatu haec & alia, quae vitioſa dici valeant, veluti quid ignominioſiſſimum evitare. Hanc autem curam, & diligentiam cum quadraginta ſex annis & ultra ſcribendo ſemper adhibuerim, non potui ta-

men adhuc uſquequaque, ſicut arbitror, imo frequenter experior, hanc abominationem excutere, nec me, quin aliquando me conceptis adoleſcentiae vitiis inquinem, continere. Concludens autem in hoc, teneas velim, niſi curaveris tu, & alii huic communi morbo mederi, nunquam fore poſſibile te, vel illum ſcribendi recte ſcientiam profiteri, cumque tantus error, & tam inexcuſabilis ſit in literis, quantum eſſe putas in verbis? *Epiſtola autem XXVIII, ita Petro Paulo Vergerio ſcribit*: Vellem etiam, quod exemplum, de exemplari quidem non dubio, de orthographia diligenter revideas, atque corrigas, & inter alia nimius fuit ille ſcriptor in littera Pythagorea, qua male quidem in Graecis dictionibus, & in Latinis nimis utitur vitioſe. Quis enim per illam literam, qua vitae noſtrae deſignatur ratio, ſcribit ydoneus, aut ymo? Videbis & Phyloſophiam & Phyloſophorum per hanc Ypſilum ineruditiſſime ſcriptum. Videbis & in aliis, & crebrius, quam par eſt, enarrationem tuam dices erratam. Purga igitur, corrige, munda frumentum hoc, facque quod aliter non exprimatur in charta, quam fuerit conceptum in mente. *Quàm multipliciter* Laurentius Mehus *hic a* Coluccio *reprehendatur, facile & primore adſpectu intelliget, quicumque haec prudentiſſima* Coluccii *praecepta cum ſuperiore Mehuſianorum ſphalmatum catalogo conferet. Nihilo tamen minus tam profligatae audaciae hic* Mehus *eſt, ut me flocci pendens, & arguens, magnum ſe litteratorem incautis & indoctis iactet ac venditet; quod quidem patienter fero, quod erga alios etiam*

doctiſ-

doctiſſimos Viros iniquus, procax, impudenſque deprehendatur. Nam *portenti inſtar eſt, quod, quum ipſe Latine & Graece neſciat, in hiſtoria hoſpes ſit, diſciplinarum omnium exſors, criterio penitus deſtituatur, virum longe doctiſſimum & Profeſſorem noſtri Lycei eruditiſſimum ac celeberrimum* Io. Lamium, *adgredi non ſit veritus; & calumniis, mendaciis, nugis, ineptiiſque adverſus eum debacchari. Sed magna ex parte iam ab hominis impudentiſſimi mendaciis Scriptores Ephemeridum litterariarum Florentinarum, dum ſe ipſos defendunt, vindicarunt; nunc reſtat ut & ego aliquid in eius defenſionem adducam, ne mendacium veritati praevalere videatur. Negat igitur ſacerrumum illud caput Scriptorem Ephemeridum Amſtelaedamenſium eius Orthographiam latenter non improbasſe: ſed mentitur. Adfirmat meretricia fronte* Ioannem Lamium *linguam Gallicam non callere: ſed mentitur, ut omnibus eſt notiſſimum. Ait Ephemeridographo Batavo Lamianum de' Eruditione Apoſtolorum librum in aliquibus fuiſſe reprehenſum, & Scriptoris imprudentiam fuiſſe notatam: ſed mentitur, ut legentibus patet. Menippeam* Marci Thymoleontis Lamio *tribuit, ſed per calumniam, Ephemeridographum Batavum ſtulte maligneque ſequutus, qui in hoc falſus eſt, utpotè in multis aliis de Menippea loquens: quum illa* Ios. Clementis Binii, *Viri incomparabilis, opus ſit, ut ipſe interrogatus non inficiatur; & perperam aliter ſe rem habere exploratores rerum quidam Batavo illi ſcripſere, ſive* Triſophthalmos, *ſive* Sarcophilos, *ſive* Dipnochares, *ſive alii maleferiati homines fuerint. Dicit* Mehus *a Batavo illo* L. Sectani *Satiras Menippea elegantiores iudicatas fuiſſe: ſed men-*

mentitur , *ut Ephemeridas legenti ſtatim patet*. *Poſt haec omnia palmaria mendacia* , *eat modo* Mehus *&* *blateret* Lamium *non fideliter retuliſſe* , *quae de eo Batavus ille ſcripſerat* ; *quum iam* Mehus *calumniatorem Scriptores Florentinarum* Ephemeridum *mendacii putidiſſimi reum evicerint*. *Quae vero audacia eſt* Laurentii Mehus, *dum iudicem ſe conſtituere vult* , *& inter diſſidentes* Litteratores *definire* Aulus Gellius *ne* , *vel* Agellius *ſcribi debeat ? Certe ſuus ille* Leonardus Arretinus , Epiſt. II Libri VIII, Agellius *ſcribit* , *& utraque ſcriptio ſuas habet rationes atque momenta*. *Pergit homo indoctiſſimus* , *& qui inter ſcrupulum & rupem non diſtinguit* , *aitque* , *& a* Lamio *in verſibus vetuſtis referendis antiquatam orthographiam ſervatam fuiſſe* ; *ſed non videt orthographiam illam ſervari debuiſſe* , *quod verſus proferrentur in media Latinitate a Latiniſſimo vate iam conditi*. *Quanta vero Mehuſiana impudentia eſt* , *dum uni* Lamio *tribuit* , *quod eſt omnium Ephemeridum Florentinarum Scriptorum ?* *Sed ei iam os maledicum obturarunt Scriptores illi eruditiſſimi* , *& pro* Lamio *etiam reſponderunt in eo* , *quod de* Michaele Glyca *calumniam attinet* , *quum incertae aetatis Scriptor ſit*. *Quam vero canicula & ridicularius eſt* Mehus , *dum Chronicon* Leonis Urbevetani *ineptum vocat* , *non reſpiciens quam ineptiores inutilioreſque ſint pleraeque Arretini Epiſtolae* , *quas ſine ullo delectu* , *me decipiens* , *publici iuris fecit* ; *dum* Graveſonium *ab eo compilatum inculcat* , *cuius Hiſtoriae Eccleſiaſticae Volumina integra ne poſſidet quidem* Lamius ; *tantum abeſt* , *ut* Lamius *doctiſſimus eo in Scholiis ad illud Chronicon tantum uſus ſit*.

Ne-

Neſcio autem quid effutiat de catalogo & hiſtoria Florentinarum familiarum, quam vulgo Prioriſta *vocant; quum ſemper haec patria hiſtoria utilior eſſe deprehendatur, quam multae cacatae chartae, quae a* Mehus *obtruduntur. Vellicat deinde Montis Atho hiſtoriam, quae ex viris doctiſſimis collecta, & indocto* Mehus *prorſus ignota, cuidam* Deliciarum Eruditorum *Tomo a* Lamio *inſerta fuit, quod non videat ignotarum ut plurimum rerum quam dulcis cognitio ſit; nec ad manus omnium eſſe eos libros, ex quibus eam, citatis ſemper ingenue Auctoribus, concinnavit. Non vidit etiam homo inſania & ignorantia caecus, quem in finem hiſtoriam illam* Lamius *adpoſuit; ſed is modo profano illi revelandus non eſt. Mentitur deinde* Mehus *dum Litterariae hiſtoriae ſcriptores a* Lamio *compilari praedicat; quum tam multa ſemper de ſuo addat, aliena caſtiget, novam rebus lucem perpetuo adferat. Deinde diligentiam ſuam* Mehus *adroganter iactat, & in* Lamio *deſiderat, quod* Tomo V Deliciarum Eruditorum *incertam* Ioannis Miniatenſis *Camaldulenſis Monachi aetatem dixerit; neſciens homo ineptiſſimus a* Lamio *Tomo X eiusdem Operis, non aetatem tantum* Ioannis *illius indicatam fuiſſe, ſed tempus etiam, quo Monachicum habitum induit. Quis autem oſſifrago baculo non caſtiget Mehuſianam impudentiam, dum perfricta fronte eructare non veretur Annales Typographicos* Michaelis Mattairii *a* Lamio *ignoratos fuiße; quum certo ipſe ſciam ab eo & Genuae, & Pariſiis, ac deinde Florentiae, lectos perlectosque fuiſſe? Iam ceteras Mehuſianas calumnias Scriptores Ephemeridum Florentinarum optime diluerunt; quare iis reſponde-*

re

re nunc ſuperſedeo , quum probe ſciam Mehus *pro merito olim ab aliis me doctioribus digno fuſſe exceptum iri , nunc tantum addens , intolerabile eſſe , honeſto homine indignum , & poenis Tartareis puniendum , mendacium illud evidentiſſimum, quo* Lamium *ſibi maledicere criminatur ; quum de eo ſemper* Lamius *honorifice loquutus ſit ; & teſtis locupletiſſimus praefatio eſt , quam decimo* Deliciarum Eruditorum *Tomo* Lamius *eruditiſſimus praefixit . At quum ſuperius Mehuſianam litteraturam, eius erroribus in propatulo collocatis , derididiculam oſtenderimus ; neceſſe eſt ut & eius mirabilis ſcientiae ſpecimen praebeamus , & quantum ſacras litteras calleat , & quantum in Theologia , ac Philoſophia profecerit , indicemus . Pagina* 28 *Epiſtolarum* Coluccii *in ſuo quodam ſcholio polygamiam vocat* deteſtabile, & ad haec uſque tempora damnatum crimen ; *horridam ita blaſphemiam in Deum , Sanctosque Patriarchas impie evomens ; quaſi Deus deteſtabile crimen in illis tolerare potuiſſet; illi vero patrare & admittere . Belle autem ac lepide huiusmodi crimina a Deo in illis tolerata fuiſſe ait , ad duritiem cordis eorum , & teſtem Apoſtolum adlegat , qui nihil tale unquam dixit: dixit vero* Ieſus Chriſtus *in Evangelio , non de polygamia , ſed de libello repudii , re multum diverſa , agens .* O *caput mirabile , ac vere Therſiteum ! Iam mirari ſubeſt quomodo* Angelus Maria Riccius, *Profeſſor eruditiſſimus , quamquam illum* Mehus *per irriſionem* virum bonum *adpellat , in album Graece eruditorum illum mittere potuerit inter ſuas Homericas Diſſertationes , niſi plane ab aliquo deceptus fuit ; nam ab eo* Laurentium Mehus *non cognoſci fama fert : & quomodo* Ioſeph

Cer-

Cerracchinus, *informe illud mendoſumque volumen Epiſtolarum*, undequaque doctiſſimum, & omnigena eruditione refertum *dicere potuerit; niſi fortè homo verſutus atque feſtivus per ironiam illud ſcripſit*, *&* Mehus *gloriabundo fucum fecit*.

E contra verò ſagaciores aliqui, *&* *qui ſinceritatem vel ipſo aſpectu praeſeſerunt*, *iis ſibilis*, *& cachinnis Mehuſianas Mileſias*, *& nugas exceperunt*, *ut carmina arguta & lepidiſſima in eum funderent*, *inter quos* Dominicus Marchionius *Allobrox*, *Latina*, *Italica & Gallica poeſi praeſtans*, *multiplicique eruditione conſpicuus*, *quum a ſuperbo* Mehus *in congreſſu indignè habitus fuiſſet*, *& hominis effrontis petulantiam aliorumque contemtum demiratus eſſet*, *Italicum Epigramma venuſtiſſimum in eum compoſuit*, *quo eum ſuae ſtultitiae & humilitati modeſtè admonebat*, *ut reſipiſceret*. *Alius autem Poeta feſtiviſſimus*, *quum Ephemeridas litterarias Florentinas lègiſſet*, *in quibus* Mehus *pro merito vapulat*, *ad eas adludens*, *& quaedam vocabula ſervans*, *ita cecinit:*

Opra d' eccelſa mente al certo fu,
    Che il Mehus ad un Tartufo aſſomigliò;
    Mentre un C ...... la Terra mai quaggiù,
    Tondo al pari di lui, non generò.
Di carta peſta il capo gli adattò,
    E gli occhi uguali a quei di Cimabù,
    Per moſtrar che natura lo formò
    Da porſi in un Preſepio accanto al Bu.
D' Alocco il nome con ragion gli diè,
    Come quel che alcun pregio in ſe non ha,
    E fuor che voce e penna altro non è.
Oh ſtrano figurino in verità!
    Di cui non fu (credete pure a me)
    Più miſterioſo da Nabucco in quà. *Qu-*

Quod quidem Italicum Carmen ita alius eleganti∫ſimus Poeta Latine vertit ex tempore.

Sublimi certe pollebat pectore, quisquis
Eſſe Mebum dixit Tuberibus ſimilem.
Namque ita non alias generavit Terra rotundum
(Teſticulum plebes dicit Etruſca) caput.
Chartaceum caput, atque e panno aptavit ocellos,
Cimabovi quales fabula nota dedit.
Natura ut talem pateat ludente creatum
Communis cui ſit cum bove ſedis honos.
Bubonem digno dixit quoque nomine, flocci
Quem pendens populo ridiculum exhibuit.
Feralem tribuit vocem, qua praevalet una;
Et plumas, quibus haec tota tumeſcit avis.
O ſpeciem informem! Aegyptus ſua numina iactet?
Credite, nam vates carmine vera ſono.
Aſſyriis animal poſtquam deforme Nabuccus
Eſt viſus, primus ſit Mebus huic ſimilis.

COLONIÆ ALLOBROGUM,

Typis Petri Wolfgangi 1742.

LINI COLUCI PIERI
SALUTATI
EPISTOLAE

EX COD. MSS. NUNC PRIMUM
IN LUCEM EDITAE

A IOSEPHO RIGACCIO

BIBLIOPOLA FLORENTINO

Et Scholiis inluſtratae

PARS SECUNDA.

FLORENTIAE, MDCCXXXXII.
Ex Typographio Ioannis Baptiſtae Bruſcagli
& Sociorum ad Inſigne Centauri.

CUM ADPROBATIONE.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO

FRANCISCO HENRICO

MARCHIONI GRASSIO

PLANUSAE COMITI.

IOSEPHUS RIGACCIUS FELICITATEM.

MEditanti mihi quemnam quarto huic Epiſtolarum voluminı contra lividos, indoctoſque homines opportunum

patronum compararem : inter ceteros doctrinae, ac nobilitatis ſama celeberrimos viros, qui mihi ante oculos ſe ſe obtulerunt, virtutem, atque humanitatem TUAM mirabundus ſubſpexi VIR EXCELLENTISSIME; TEQUE ſeligere iure merito in animum induxi meum. Tu enim (ut antiquiſſimam generis TUI Nobilitatem a Polonis, ut tradunt, uſque Regibus repetitam, ac tot Maiorum TUORUM Sacra Purpura, toga, & armis inluſtratam, ſilentio praeteream) IS es, Qui tanta cumulatus virtute, ac multiplici inſignitus eruditione praefulges, ut omnium animos in te convertas. Scilicet mirantur omnes ſedulam in veterum monumentis perveſtigandis operam TUAM, in quam totus incumbis: mirantur tot antiquiſſima tum Graeca, tum Latina, aurea & argentea cuiuſque generis Numiſmata;

quo-

quorum ſelectum atque ſingulare Muſaeum TIBI comparaſti, quam quod maxime. Stupent operoſum, aſſiduumque ſtudium in hiſtorias, tum Eccleſiaſticas, tum profanas, quarum vim paene infinitam capaci mente comprehendis. Quapropter TIBI potiſſimum hanc Epiſtolarum ſyllogen fuiſſe dicandam, nullus aequus rerum iudex inficiabitur. Primum enim, eiuſmodi Epiſtolae in ea deſcriptae ſunt, quae anteactorum temporum hiſtoriae inluſtrandae mirifice inſerviunt, cuius TU ſolertiſſimus es indagator. Deinde vero amor ille TUUS, quo litteras, litteratoſque Viros proſequeris, munificumque patrocinium, quo eorum ſtudia tueris, ac foves, idipſum requirere, atque expoſcere videbatur. Excipe itaque VIR AMPLISSIME ſerena fronte munuſculum hoc, neque ad illius tenuitatem reſpicias velim;

ſed

ſed ad voluntatem, atque obſervantiam erga TE meam; qua nullam fortaſſe maiorem, ac veriorem inveneris. Vale, VIR EXCELLENTISSIME, Teque Litterariae Reipublicae bono, Deus Immortalis diu incolumem ſervet.

Dabam Florentiae Idibus Aprilis Anno S. MDCCXLII:

LECTORI BENEVOLO.

IN *Alterum* Lini ColucI PierI Salutati *Epiſtolarum volumen Lector Benevole. Alteram ſupra nonaginta Epiſtolas in eo leges, quarum nonnullas tamquam Florentinae Reipublicae a ſecretis, ſive eiuſdem, ut aiunt Cancellarius, nonnullas vero tamquam privatus homo conſcripſit. Eas omnes non ingratas tibi futuras arbitror, quod ex MSS. Codicibus ſelectae fuerint, utpote quae Litterariae Reipublicae magis profuturae videbantur: eamdemque curam adhibere in poſterum ac diligentiam non praetermittam. Itaque eas in lucem prodire curavimus, quae aut de Eccleſiaſtica Hiſtoria diſſerunt, aut Chriſtianae, & Civilis moralis argumenta complectuntur, aut hiſtoriae illorum temporum inluſtrandae inſerviunt: opportunis interim animadverſionibus additis, in quibus elucubrandis, ſiquando opus viſum eſt, latius diſſerere lubuit, praeſertim vero, ſi quae hiſtoria occurrerit dilucidanda: tunc enim plerumque ipſa etiam hiſtoricorum verba afferre non dubitavimus; hac ratione* aliorum ſcrinia compilare, alieniſque plumis nos exornare, *non probro ducentes, ſed laudi. Scilicet hoc fore lectoribus gratiſſimum, animadvertimus, dum taedio ac moleſtia, plurimos aliorum Scriptorum libros pervolvendi, quique etiam ut plurimum praeſto eſſe non ſolent, eoſdem liberaremus.*

Mi-

Mirum autem non ſit, ſi Colucii *familiares Epiſtolas, non ſegregavimus ab iis, quas pro Florentina Republica ea tempeſtate ſcripſit, qua Cancellarii munere fungebatur. Siquidem, praeterquamquod nulla ad id agendum neceſſitas nos cogere videbatur, animadvertebamus inſuper, quod quum ſcriptoris cuiuslibet ſit non utilitati ſolum, ſed & lectoris voluptati conſulere, ſicut iubet Horatius, quum ait*

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci

huic oneri magis magiſque ſatisfacere arbitrati ſumus, ſi Epiſtolis privata negocia pertractantibus, publica etiam complectentes contexeremus. Sic enim & in picturis opportuna plurium colorum varietas oculos inſpicientium capit, atque delectat. In univerſam hanc Epiſtolarum Syllogen haec brevi dicta ſufficiant. Iam vero quod ſingulas ſpectat Epiſtolas in hoc Volumine deſcriptas liceat hoc loci illa breviter in eas animadvertere, quae licet animadverſione digna, conſulto tamen, aut quod nondum nobis ſatis explorata forent quum excuderentur, animadvertere omiſimus. Porro primum ab iis Epiſtolis initium ſumam, quas ut privatus homo Colucius *ſcripſit, deinde vero ad eas ſermonem convertam, quas Florentinae Reipublicae nomine exaravit.*

Itaque occurrit primo Epiſtola ad Innocentium *VII. data, in qua Summum illum Pontificem etiam atque etiam rogat, ut Schiſma, quod uſque ab* Urbani *VI. temporibus tanto Catholicae Fidei detrimento Eccleſiam infeſtabat, extin-*

tinguere pro viribus laboraret, adeo ut, ſi opus eſſet, Pontificatu ſe abdicaret. Has litteras a Colucio *Pontifici datas crediderim, ut mentem illam ſanctiſſimam, & vere laudabilem de Schiſmate auferendo in eo reficeret, quam vehementiſſimam Cardinalis iam demonſtraverat, quamque in Pontificem renunciatus magna ex parte deponere viſus eſt. Memini enim me apud* Platinam *legere, quod quum adhuc Cardinalem ageret, priorum Pontificum negligentiam carpere conſueverat, aſſerens, eorum incuria factum eſſe, quod in Chriſtianae Reipublicae perniciem Schiſma execrandum hactenus viveret. Pontificatum autem adeptus, quos iam carpebat ſecutus eſt, iniquo etiam animo ferens, ſi quis ea de re verbum ſibi faceret. Ad quae fortaſſe adludit, quum p. 14. ait:* Memento Pater SS., quod quum eras per Dei gratiam Cardinalis . . . . . unionis propoſitum ſemper prae ceteris perſuaſiſti, foviſti, & proſecutus es, oro, ſupplico, & exhortor, quod in illa voluntate Sanctiſſima, pioque, & ardenti deſiderio non tepeſcas. Promptiorem &c.

Occurrit ſecundo Epiſt. ad Fratrem Nicolaum de Agrigento Ordinis Minorum, *qui, ut habetur apud* Waddingum *in* Annalibus Minorum; *per obitum* Martini Epiſcopi *Eccleſiae Emonenſi praefectus eſt; in cuius rei teſtimonium* Gregorii *XI. Bullam refert 2. Idus Maii datam, quae incipit.* Apoſtolatus officium: *Idemque circa annum* 1380. *apud* Rocchum Pyrrhum *Sicanicarum rerum hiſtoricum, Archiepiſcopus Panormitanus invenitur. In hac igitur Epiſtola, ad quamdam a* Nicolao *ad Populum Florentinum datam, qua Rempublicam ad pacem cum Eccleſia*

fa-

faciendam hortabatur, *reſpondet* Colucius *nullam pacis cauſſam adeſſe*, *quum nullum Eccleſiae bellum intulerint Florentini*. *Adnotatum autem velim* p. 27. *ubi ait*: bellum immortale futurum, ſi libertatis tuendae gratia a Florentinis ſit ſuſcipiendum; *ſic fortaſſe locutum fuiſſe*, *eo quod notum erat*, *quod Pontificis Praeſides Florentinis Populis libertatem adimere cogitabant*. *Legatus enim Bononienſis*, Petri Puccii *a Canneto*, *& cuiuſdam Monachi opera Prati deditionem tentaverat*, *& architectum occulte Florentiam miſerat* Matthaeum Gattapanum, *qui arcis condendae locum deſignaret*, *de qua re*, *ac de omnibus*, *quae ad huius Epiſtolae hiſtoriam inluſtrandam pertinent*, *conſulendus eſt* Poggius *hiſt. lib.* 2. *praecipue in oratione*, *quam a Florentinis Legatis* Donato Barbadoro, Alexandro ab Antella, *&* Dominico Silveſtri *ad Pontificem habitam fuiſſe refert*.

Tertio habetur Epiſtola ad Benvenutum *de* Rambaldis *ſcripta an.* 1374., *in qua* Franciſci Petrarchae *mortem deplorat*: *quam ſequuntur*, V. *ad Eundem*, *in qua de Africae Poemate praeſertim agit*: VI. *ad* Franciſcolum de Broſſano, *ſive ut malunt alii* de Borſano *data an.* 1375., *in qua etiam* Ioannis Boccaccii *mortem lamentatur*, *eiuſque laudes contexit*. *Heic autem adnotandum eſt*, *quod legenti mihi ea verba*, *quae habentur p.* 46. *ſcilicet*: Quum nondum in occupationibus publicis, quae mihi tanta gloria contigerunt, biennii tempus exegerim, mihi primus Franciſci fatalitate, ſecundus autem Boccaccii morte funeſtus acceſſit: *dubium ſubortum eſt*, *utrum hiſtorici recte annum ſtatuerint*, *quo* Colucius *ad Florentini Can-*

cel-

cellariatus officium fuit evectus. Habemus enim Petrarcham *deceſſiſſe die XVIII. Menſis Iulii anno* 1374. Boccaccium *vero, etſi non una de hoc feratur ſententia, communior tamen, immo & certa, ſicut in eiuſdem* Boccaccii *vita nuper a ſe diligentiſſime ſcripta, ac publici iuris brevi facienda demonſtrat* Dominicus Maria Mannius *vir ſane pereruditus, patriaeque hiſtoriae peritiſſimus ea eſt, occubuiſſe die XXI. Decembris an.* 1375. Colucium *vero omnes uno ore hiſtorici aſſerunt, Florentini Cancellariatus munus ſuſcepiſſe an.* 1375. *Quae quidem omnia cum* Colucii *verbis ſuperius allatis nullo modo convenire videbantur. Verum Epiſtolam* V. *mihi diligentius revolventi, occurrerunt verba quaedam, quae allatum dubium ſolvere mihi viſa ſunt.* Nunc autem, *inquit Colucius*, credo tibi fama divulgante innotuiſſe, mihi ad labores, quibus eram adſcriptus, et honorem, et onus Florentini Cancellariatus acceſſiſſe. *Ex quibus verbis meo quidem indicio erui poſſe videtur, quod* Colucius *an.* 1374. *antequam Cancellarius eligeretur, ad aliquod aliud Reipublicae officium fuerit adſcriptus.*

Ut igitur ad inſtitutum ſermonem redeam, ſequitur VII. ad Comitem *quemdam, cuius nomen in MS. ſubticetur; hunc autem puto, ni fallor,* Comitem de Anguillara, *quem ſummopere* Petrarcham *adamaſſe cognovimus: quae* Petrarcham *tot tantiſque laudibus effert, ut illum* Homero, Vergilio, Ciceroni, Demoſtheni, *aliiſque huiuſmodi viris ſerio praeponere non vereatur. Quod quidem nimio* Franciſci *amore captum atque, ut ita dicam, obcaecatum* Colucium *ſcripſiſſe crediderim. Huc etiam revocanda eſt* XVII. *ad laudatum* Franciſcolum, *in qua gratias agit de Afri-*

Africae Poemate ſibi miſſo; unaque mancum illud inveniſſe lamentatur.

XIV. *Deinde occurrit, quae* Iacobo Appiano *gratulatur de recepto Piſarum Dominio gaudetque Eumdem in* Petri Gambacurtae, *filiorumque necem minime coniuraſſe: id autem falſo, & blandiendi gratia ſcripſiſſe* Colucium, *ibidem adnotavimus. Siquidem hiſtorici omnes unanimi conſenſione contendunt,* Petrum Gambacurtam, *eiuſque filios per* Iacobum de Appiano *fuiſſe interfectos. In cuius rei teſtimonium afferre placet, quae habentur apud Cl.* Ludovicum Antonium Muratorium *Ant. Ital. tom.* 18. *in Memoriali hiſtorico* Matthaei de Griffonibus. Die xv. Octobris D. Petrus de Gambacurtis de Piſis Piſarum Dominus fuit mortuus in Piſis, & ipſum mori fecit Ser Iacobus de Piano propter invidiam.

XV. *Ad* Ioannem de Fabriano *de virtute Prudentiae diſſerit, illamque, aut* non poſſe ab homine uſque ad perfectionis terminum *poſſideri, aut, ſi quis poſſideat, Dei dono id fieri contendit.*

XVI. *Ad* Dominum Mantuanum, *quem puto ego, ni fallor,* Franciſcum Gonzagam *Mantuae Ducem; illius curam, ac diligentiam ſingularem laudibus effert, qua in Bibliothecam ſuam maximam librorum copiam congeſſerit. Quod quidem ſumma cum laude a maximis olim Principibus ad bonas artes amplificandas actum eſt. Ac ne nimis longus ſim in iis enumerandis tibique L. B. taedium afferam, & moleſtiam longius ab inſtituta oratione vagando,* Ioannem Lomeierum *conſulas velim in libro ſingulari de hoc argumento. Decus tamen & ornamentum huius flo-*

ren-

Florentiſſimae urbis Patriae meae, ſilentio praetereunda non eſt celeberrima Bibliotheca Mediceo-Laurentiana, *quam laudatiſſimo auſu, ac Regio plane ſumtu* Coſmas Medices, & Laurentius, *pretioſis cuiuſque linguae, doctrinae cuiuſque voluminibus inſtructiſſimam, communi populorum utilitati dedicaverunt. Illam vero proceſſu temporis Maiorum ſuorum glorioſis veſtigiis inſiſtentes* Medicei Principes *in dies magis auxerunt atque amplificaverunt; utpote qui ſummo ſemper litteras, litteratoſque viros amore ſunt proſecuti: cuius quidem rei hiſtoriam vir doctiſſimus* Ioſephus Maria Blanchinius Pratenſis, *quo immortali* Mediceorum Principum *gloriae conſuleret, integro volumine complexus eſt. Quae autem, quantaque ſit MSS. Codicum, quae in ea aſſervantur copia, dignitas atque praeſtantia, tunc maxime patebit, quum Bibliotheca exactiſſima, quam Praelo parat* Cl. Vir Antonius Maria Biſcionius, *in lucem prodibit: quum interim Ebraicorum librorum index ab eo exaratus, cum alio Orientalium MSS. Codicum indice, qui tum in laudata* Medicea, *tum in Regia Palatina ſervantur, a* Viro doctiſſimo Ioſepho Aevodio Aſſemano Syro Maronita Apameae Archiepiſcopo *elucubrato, curante* Cl. Viro Antonio Franciſco Gorio, *in praeſentiarum excudatur. Quantam vero utilitatem huiuſmodi Bibliotheca litteris attulerit anteactis temporibus, celebrius eſt, quam ut heic commemorare opus ſit. Quanto autem progreſſu ea ſit noſtra etiam hac tempeſtate, teſtimonio ſunt luculentiſſima tot Volumina, quae ex illius Codicibus aut amplificata, aut inluſtrata, aut integra quotidie prodeunt; quibus vel antiquae hiſtoriae, & rebus praeclare geſtis, memoriaque digniſſimis;*

lux

lux nova, ſincerior que feneratur, vel doctrinae ceterae, egregiaeque artes incrementum accipiunt & numeris paene omnibus abſolvuntur. Nuper autem teſtis eſt locupletiſſimus Vergilianus Codex a Turcio Ruſio Aproniano diſtinctus atque emendatus, omnium plane antiquiſſimus, quem, in Litterariae Reipublicae bonum plane maximum, Vir Eruditiſſimus Petrus Franciſcus Fogginius *typis excudendum curavit. Et quidem non ſine divino conſilio factum eſt, ut adeo ſingularis Bibliotheca in urbe hac beatiſſimorum ingeniorum feraciſſima ſervaretur, in qua ſi praeterita tempora reſpiciamus tanta ſemper fuit in litteras, bonaſque artes facilitas, & in eruditione comparanda, liberalibuſque diſciplinis inluſtrandis labor indefeſſus, admirandaque diligentia: ſi vero praeſentia conſideremus, tot tamque inclyta ſunt Eminentiſſimorum Virorum ſtudia, tot tamque eruditi labores, ut nihil fere ſupra deſiderandum videatur. Siquidem paene inumeri Cives ſunt, quorum nonnullos mihi liceat heic honoris cauſa commemorare:* Lamios *nempe,* Gorios, Salvinios, Riccios, Brocchios, Mannios, Cocchios, Gentilios, Gualtierios, Targionii, *laudatoſque* Biſcionios, & Fogginios, *ut ceteros bene multos ſilentio praeteream, quorum ſolidiori litteratura, & caſtigatiori eruditione, patria haec noſtra, ad ſummam laudis, atque amplitudinis gloriam elata eſt. Laudatus vero* Ioannes Lamius *mirabilis ſane Vir, ac paene divinus, prae ceteris (abſit invidia dicto, atque obſtruatur os loquentium iniqua) Florentiam honore inluſtrat immortali: ut merito quidem a Cl. Viris Lipſianorum Actorum ſcriptoribus* Florentiae decus *ſit adpellatus.*

Ve-

Verum ſuſceptum iter proſequentibus, occurrunt Epiſtolae XXV., *&* XXVI. *ad* Rupertum Guidium Comitem de Battiſolle, *in quibus illum rogat, ut quemdam Puppii Abbatem, ab eo in carcere, ut puto, detentum, libertate donet. Huiuſce facti hiſtoriam nondum mihi contigit invenire, quod ſi contigerit, arrepta occaſione in poſterioribus voluminibus certiorem te faciam.*

XXVII. *Ad* Bernardum de Muglo, Petrum de Muglo *eius Patrem vita functum deplorat, ac de huius mortalitatis rebus infirmis atque caducis diſſerit: eademque paene argumenta pertractant* XLVIII. *&* LIII.

Epiſtola XLI. *excerpta ex Codice Membranaceo Mediceo-Laurentiano plut.* XXXVII. *decem Tragoedias, quae ſub* Senecae *nomine circumferuntur* L. Annaei Senecae Philoſophi *opus non eſſe contendit. Profecto non defuerunt magni nominis Viri*, Petrus *nempe* Crinitus, Daniel Caietanus Martinus *del* Rio, Franciſcus Petrarcha *in Epiſtola ad* Senecam, *aliique nonnulli, qui eas omnes* Senecae Philoſopho *adiudicarent: perperam tamen, & iniuria; repugnantibus ſtrenue graviſſimis viris in diverſas ſententias euntibus, ut videre eſt praeſertim apud* Lipſium *in* Senecam, *&* *Fabricium* Bibliot. *Lat. t.* 1. *lib.* 2. *p.* 444. *editionis Venetae anni* MDCCXXVIII. *Satis autem mihi ſit* Thomae Farnabii *verba ex praefatione ad Senecae Tragoedias afferre.* Fretus itaque, *ait*, iudicio Illuſtrium Virorum Antonii del Rio, Iuſti Lipſii, Ioſephi Scaligeri, maxime vero Cl. Danielis Heinſii, a quibus diſpertiti viri, diſpertiti ordines; altam Medeam, floridum Hippolytum, divinam Tragoediam Troada L. Annaeo Se-

necae Philoſopho adſcribo: nec non eidem (ſi ab Heinſii iudicio diſcedere liceat) πολυμάνταυτον Oedipoda. *Ex ceteris autem nonnullas* Senecae Tragico, *nonnullas vero cuidam* (*ut ipſius verbis utar*) *Poetaſtro adſcribit. Profecto nonnullae ex illis Tragoediis ad Senecam Philoſophum recte referri videntur, certum enim eſt illum carmine valuiſſe, ut aſſerit* Quintilianus, *quum de illo*, Tractaverat, *inquit*, omnem ferme ſtudiorum materiam, nam & orationes eius, & poemata, & Epiſtolae, & dialogi feruntur: *Quod eruitur etiam ex eiuſdem Senecae Epiſtolis* CVII. & CXV.

De familiaribus Colucii *Epiſtolis hactenus. Nunc de iis agendum eſt, quae pro Republica ſcriptae ſunt. Et primum in univerſas, de earum argumento quaedam brevi diſſerere, ſatius ducimus.*

Eae itaque plane omnes (*ſi* XVIII. *excipias, quae Peruſinos etiam atque etiam rogat, ut* Baldum Ubaldinum *eorum Civem, Iuriſperitum celeberrimum Florentiam mittant, utpote qui Civilis Iuris interpres, ac Magiſter a Florentinis Civibus fuerat*) *electus omnes inquam de difficili ac periculoſo bello, triennio ferme inter Florentinos*, & Gregorii XI. *Pontificis Praeſides geſto pertractant, de quo diſſerunt etiam plures primae partis Epiſtolae. Bellum hoc tam acerrimum contra Eccleſiam, Libertatis tuendae gratia, a Florentinis fuiſſe ſuſceptum omnes una voce aſſerunt hiſtorici. Ac proinde, ut refert* D. Antoninus *tit.* 22. *cap.* 9. §. 1. *duo militaria ſigna extulerunt, Communitatis alterum, alterum vero in quo aureis characteribus ſpecioſum* Libertatis *nomen erat inſcriptum.*

Quum

Quum igitur de libertate ſervanda agerent Florentini, pro viribus quidem, ſed non ea fortaſſe, qua par erat erga Eccleſiam reverentia; in hoc bello dimicarunt: neque propriis tantum viribus innixam Patriae ſalutem voluerunt, ſed externis etiam in auxilium advocatis. Quapropter, Octo ſummae auctoritatis viris electis, Octo Sanctis *vulgo nuncupatis, qui adminiſtrando bello praeeſſent, foedus primum cum* Bernaboe Mediolani Vicecomite *inierunt hoc pacto, ut* quatuor ipſe; Florentini trium millium peditum equitumque copias compararent. Octoviris *autem Magiſtratum ineuntibus,* in primis (*ut inquit Poggius hiſt. lib. 2.*) cum pollicitationibus, tum auxiliis mittendis, populos, qui in Pontificis ditione erant, ſollicitandos viſum eſt, quod facile factu fore videbatur, quum omnium animi, Gallorum faſtidio, omnia perpeti, quam illorum imperium mallent. *Et profecto id ex ſententia factum eſt. Siquidem* Tifernum, Viterbium, Peruſium, Spoletum, Tudertum, Forumlivii, Aſculum, Bononia, *aliique populi Eccleſiaſtico ſpreto imperio defecerunt; omneſque foedus cum Florentinis contra Eccleſiam pepigerunt, quod,* Sacrum Foedus, *ſive* Liga Sacra *tunc temporis eſt adpellatu.*

Itaque Epiſtolae, quae in hac ſylloge continentur, Octovirorum *nomine ſcriptae ſunt, quarum nonnullae ad rectum* Sacrae Ligae, *militiarumque omnium regimen pertinent, nonnullae autem de iis, quae acta ſunt cum* Gregorio XI. *eoque defuncto, cum* Urbano VI. *ad inducias pacemque faciendam, pertractant. Videamus nunc id, quod in adnotationibus praetermiſſum, reſtat heic animadvertendum.*

 Et

Et primum occurrit Epiſtola XIX. *ad* Fulginates, & XX. *ad* Conradum de Trinciis; *ad quarum hiſtoriam inluſtrandam, quantum attinet ad* Trinciae Trincii *mortem, in medium afferre lubet, quae habentur apud* Pellinium *hiſtoriae Peruſinae part.* 1. *lib.* 9. In queſti medeſimi giorni (*inquit Pellinius*) M. Trenci d' Anaſtagio, e fratelli, che erano ſtati (come dicono) Signori di Foligno 72. Anni, e tre meſi, e otto giorni, fu ucciſo da un baſtardo de' figliuoli di Cola di Ranaldo in Foligno, la cui Famiglia era ſtata anticamente nimica di quella de' Trenci, benchè allora non ſolamente il baſtardo, ma ancora gli altri della ſua famiglia converſavano con molta domeſtichezza con Meſſer Trenci, ec. . . . . ora queſto baſtardo ricordevole per avventura della paſſata inimicizia . . . . con una moltitudine grande di popolo, ſe n' andò al Palazzo di M. Trenci, e ivi l' ucciſe . . . . Golino ſuo figliuolo, che era allora in un Caſtello di Foligno vi fu ad iſtanza de' Magiſtrati ritenuto, e fatto prigione. Corrado, che era il maggior Fratello, era allora in Anagni col Papa, ad iſtanza del quale eſſi tenevano la Città di Foligno . . . . . . L' anno ſeguente del meſe di Decembre eſſendoſi tumultuato nuovamente in Foligno e richiamato dal popolo Corrado fratello del morto Trenci, che era ſtato ſempre dopo la morte del fratello a Spoleto, li Folignati divenuti toſto ſazi del nuovo governo, e pentiti d' eſſer concorſi alla morte di M. Trenci, preſe l' armi corſero alle caſe di Napo-

leo-

leone, e di Corradino di Cola di Rinaldo, e d'alcuni altri ſeguaci loro, e le rubarono, ed eſſi con tutti quelli della loro fazione, cacciarono fuori della Città, ſenza quaſi alcuno ſpargimento di ſangue . . . .
I Folignati cacciati fuori gli avverſari de' Trenci cominciarono a gridare viva Corrado, e ſubito mandarono per lui . . . . . e fu richiamato Golino figliuolo di M. Trenci, che era ſtato prigione in un Caſtello di Foligno, dopo la morte del Padre infino allora.

Ad Epiſtolam XXVI. *ad* Filios Domini Cantis de Monteveturo *adnotatam velim*, *quod Fedarenſes Mercatores*, *de quibus in ea ſermo habetur*, *Florentinos fuiſſe credo*, *quorum res interceptae fuerunt ni fallor*, *quum ob excommunicationem a* Gregorio XI. *in eos latam*, *inde expulſi ſunt*. *Id autem convenire videtur cum Epiſtola* LXI. *ad* Regem Ungariae, *ubi ait p.* 168. Ceterum per litteras veſtrae Maieſtatis ad Nobilem Virum Rainerii de Pucciis Civem noſtrum cariſſimum deſtinatas, accepimus quantam turbationem aſſumpſerit veſtra Maieſtas, ob expulſionem noſtrorum mercatorum de veſtra Civitate Fedarae factam, ec.

Epiſtola XXXII. Octoviri Sacrae Ligae Praeſides. *Peruſinis Civibus gratias agunt*, *eo quod ſe*, *poſteroſque omnes Civitate donaverint*, *ac decreverint ipſos in Reipublicae Palatii aula*, *Magnifica triumphali veſte eſſe pingendos*, *proprio ſingulorum*, *ac Familiarum nomine adſcripto*, *ſuperaddita cuilibet inſcriptione*, Patris Patriae, *&* Libertatis Patroni. *Has imagines amplius non extare*, *ex relatione humaniſſimi viri*

 An-

Antonii Franciſcii Gorii *ſuperius laudati*, *cognovimus*. *Porro in ea verba:* quamvis nos, & noſtri poſteri non fuerimus militiae cingulo decorati ad veſtrae regimina Civitatis poſſumus adſumi: *animadvertendum eſt*, *quod*, *ut quis in populi* Capitaneum, *aut* Poteſtatem *poſſet renunciari*, *opus erat*, *ut* militiae cingulo eſſet *inſignitus*: *in cuius rei teſtimonium*, *praeter ea*, *quae ex* Pellinio *in adnotatione ad laudatam Epiſtolam allata ſunt*, *quaedam ex Admirato afferre lubet*, *qui hiſt. Flor. lib.* 13. *ad annum* 1377. *ſic habet*. Era intanto ſtato eletto Podeſtà di Firenze Piero Marcheſe dal Monte S. Maria, ma per non eſſer Cavaliere, come dicevono accinto, ſi diſputava ſe la ſua elezione foſſe ben fatta; onde fu neceſſario, per levar ſimili diſpute, e difficultà, di far dichiarazione, che in avvenire gli eletti Capitani del Popolo, e Podeſtà di Firenze, che foſſero Marcheſi, o Conti; la elezione foſſe ben fatta, non oſtante che non foſſero Cavalieri accinti.

Per illa autem verba: militiae cingulum; *nihil aliud ſignificatur*, *quam enſis*, *quo cingebatur quiſquis Equeſtrem ordinem conſequebatur*. *Porro id erui poteſt ex Commentariis* Benvenuti de Imola *in Divinam* Dantis *comoediam*, *qui* Paradiſi *cap.* 16. *in ea verba*

. . . . . . ed avea Galigaio
Dorata in caſa ſua già
L' elſa, e 'l pome.

Inquit: Per hoc notat, quod familia Galigaiorum erat iam ordinata, ornataque dignitate mi-

lita-

litari. *Verum de hac re audiendus eſt etiam* Cl. Lud. Anton. Muratorius, *qui Tom. 4. Antiq. Ital. Medii aevi diſſertatione* LIII. *haec habet:* Quum vero militaris cinguli mentionem apud veteres comperimus, non aliud videtur per eam vocem ſignificari, niſi Enſem, quo cingebatur quiſquis ad honorem militiae admittebatur. Militare Cingulum, aut Cingulum Militiae non ſemel occurrit in Codice Theodoſiano. Vetuſtis autem ſaeculis latior huius vocis ſignificatio fuit, quum quoſcumque milites indicaret, ſive equo, ſive pedibus militarent. Non idem fuit ſaeculis barbaricis. In vita S. Authperti Vulturnenſis Abbatis, aevo Caroli Magni „ plurimi ex aula regia militiae cingulum deponentes, in Sancto propoſito ei „ (Authperto) adhaeſerunt. Sed praecipue poſt decimum a Chriſto nato ſaeculum, Cinguli militaris nomen, & honor pertinuit ad Equites nobiles, de quibus nunc nobis ſermo.

Et harum ſane frequentior mentio occurrit apud Hiſtoricos Italicos, Germanos, Francos, Britannos, poſt Annum Chriſti milleſimum, quia res peragi tunc coepta eſt diverſis, ac illuſtrioribus ritibus, quam qui apud veteres adhibebantur, &c. *Ceterum qui rem hanc fuſius explorare velit, laudatam conſulat exercitationem, quae ſingulari plane eruditione referta eſt.*

Epiſtola LXVIII. *inſcripta eſt* Aſtorgio de Manfredis, *qui pro Florentinis Granariolum agri Faventini Caſtellum occupaverat:* Domino Beltrando Alidoſio de Imola: & Domino Sinibaldo de Ordelaffis, *qui plane (non vero* Baldaſſar

Ordelaffius *ut perperam habent* Poggius, & Admiratus) *cum germanis* Cicco, *ac* Thebaldo Franciſci *Filiis*, *Forilivii Dominium ſuſcepit*. Ciccum *autem Ordelaffium Sinibaldi Fratrem*, *ipſum puto*, *ni fallor*, *ad quem data eſt Epiſt.* LXXVI. *in qua* Cicco, *non* Ciecho *legendum crediderim*.

In Epiſtolam LXXVII. *ad ſtipendiarios exiſtentes in Comitatu & Diſtrictu animadvertendum eſt*, *quod Diſtrictus & Comitatus*, *nihil aliud erant*, *quam regio aliqua ſub ſtatis limitibus terminata*. *De hac re ſic habet* Cl. Muratorius *tom.* 4. *ant. Ital. Medii aevi diſſertatione* XLVII. Itaque cura fuit circumſpicere, ſeduloque rimari, quo uſque diſtrictus, & Comitatus fines protenderentur. Sub Romanis, Longobardis, & Francis Principibus unicuique Civitati ſuum erat territorium, in quod iuriſdictionem Praeſes, ſive Iudex, ſive Comes Civitatis exercebat. Comitatum, & Diſtrictum poſteriora ſaecula appellavere, ſtatique erant limites, quibus unius urbis ager ab alterius urbis agro dirimebatur.

Monitum etiam te volo L. B. quod inter haſce Epiſtolas Octovirorum *nomine ſcriptas*, *in Chartaceo Codice*, *unde erutae ſunt*, *mediae ſaepe numero inveniantur nonnullae ad* Bernabovem Mediolani Vicecomitem, *& ad* Bononienſes *datae*, *huiuſce belli hiſtoriam & ipſae pertractantes*, *quas in unum volumen coactas tibi exhibere curabimus*.

Denique ne mireris, *ſi ad calcem huius voluminis*, *nonnullas leges Epiſtolas etruſco ſermone exaratas*. *Nobis enim*, *etſi provinciam noſtram*, *Epiſtolas latino idiomate ſcriptas edendi*

opti-

optime noverimus, tamen ideo & illas publici iuris facere placuit, quod huius belli exitum, pacemque cum Urbano VI. *per Florentinos Legatos Romae firmatam mirifice exhibeant.*

Ceterum obtrectatores noſtros longum valere iubemus, eorumque verboſas chartas praeteritas; & ſi quae etiam futurae ſunt, flocci facimus: Neque enim ii ſumus, qui tempus terere velimus inter huiuſmodi lites, quae quum invidia, καὶ μωρία, malevolorum, non Philoſophorum, ἀλλὰ Δοξοσόφων nobis ſint excitatae, nullam earumdem habendam eſſe rationem putamus. Clament itaque, obſtrepant, &, quidquid lubet, evomant contra nos, auras verberabunt. Si quem tamen errorem noſtra ex hac editione reapſe in medium fortaſſis afferant (quod quidem fieri poſſe non denegamus, ſiquidem ſaepe etiam Bonus dormitat Homerus) *gratias habebimus quamplurimas, & ſtatim ac ſe ſe offeret occaſio, corrigemus. Errores namque ſuos agnoſcere, agnitoſque retractare glorioſum, & honorificum eſt. Quapropter quum nonnulla, correctione, atque animadverſione digna occurrant in ſuperiori harum Epiſtolarum tomo, hoc loci adnotare, & corrigere aequum ducimus. Pag. 4. Brandolinus, lege, Bracciolinus. Pag. 128 Archiepiſcopo, lege, Epiſcopo. Pag. 199. in Epiſtola* LXXIII. *ad* Poggium *data adnotatum velim, quod* Franciſcus Luperi *ex eadem* Colucii *familia fuit*, Leonardi Canonici Florentini, & Epiſcopi Faeſulani *pater:* Antonius *vero eiusdem filius, cuius ibidem meminit* Colucius, *inter Florentinae Reipublicae Priores invenitur. Pag.* 184. Ser Mannus Dominici *ex Avellano fuit, oppido Vallis Nebulae, qui Reipublicae Florentinae notarius exſtitit anno*

1393.

1393. *conſpicitur eius ſepulchrum hac in urbe in Eccleſia* S. Mariae Maioris, *ubi marmoreo in lapide, haec legitur inſcriptio.*

Ser Manni Dominici Nelli, & ſuorum. *Ex eo, Poſteri de* Sermannis *dicti ſunt. Illud etiam praetermittendum non eſt, quod Graecum opuſculum, quod ex relatione viri eruditiſſimi* Ioannis Baldaſſarronii *in Latinum idioma a* Colucio *converſum fuiſſe diximus, revera illius opus non eſt, ſed* Leonardi Arretini, Colucio *dicatum, qui nuncupatoriam Epiſtolam, ſic exorditur.* Ego tibi hunc librum, Coluci, ex media, ut ajunt, Graecia delegi &c.

Reliquum eſt ut in lucem proferam quae vir eruditiſſimus aeque ac humaniſſimus Ioſephus Maria Brocchius *nobiſcum communicavit de* Colucii, *ac ſuorum ſepulchro ex* Stephano Roſſellio *excerpta, qui in libro* ,Sepoltuario, *etruſce inſcripto, de Eccleſia D. Romuli agens, haec habet:* vicino alla porta grande, Laſtrone, e chiuſino di Marmo della famiglia de' Salutati oggi ſpenta vi ſi vede ancora l' arme loro, attorno alla quale era già queſta inſcrizione di quel grand' Uomo Meſſer Colucio de' Salutati Segretario della Repubblica Fiorentina.

SER COLUCII PIERII DE SALUTATIS ET SUORUM

La quale Inſcrizione è ſtata in oggi ſubbiata, e levata affatto, per eſſere ſtata data queſta ſepoltura dallo Spedale degli Innocenti, che fu erede della famiglia, alla Compagnia del Sacramento di quella Chieſa, che vi hanno fatto porre queſt' altra Inſcrizione.

VE-

VETUS ISTE LAPIS OSSA FAMILIAE DE SALUTATIS QUONDAM CELAVIT, POSTHAC PIOS SS. SACRAMENTI SODALES SUO IN SINU TUMULABITUR. ANNO DOMINI MDCXXXIII.

Sepulcrum hoc ſibi, ſuiſque paraverat, ut puto, ipſe Coluccius *in quo tamen ſepultum fuiſſe nolim credas, decreto enim publico, ut omnes habent hiſtorici in Eccleſia Maiori Florentina tumulatu fuit, honoris profecto genus rariſſimum, & quod nemini fere concedi ſolet. Haec ſunt, de quibus te certiorem volui L. B. Vale, & fruere.*

No.

Nomina eorum quibus ſcriptae ſunt Epiſtolae, quae in praeſenti Volumine continentur.

Ambaxiatoribus exiſtentibus Romae. Ep. LXXXIV. Pag. 199.
Ambaxiatoribus exiſtentibus in Curia, Ep. LXXXIV. Pag. 204.
Ambaxiatoribus in Curia. Ep. LXXXV. Pag. 205.
Arretinis. Ep. LXIII. Pag. 173. Ep. LXXV. Pag. 188. Ep. LXXVIII. Pag. 191. Ep.
Aſtorgio Domino Beltrando & Domino Sinibaldo. Ep. LXVIII. Pag. 179.
Azoni de Sertiranna. Ep. LVI. Pag. 158.
Benvenuto de Imola. Ep. III. Pag. 32. Ep. V. Pag. 41.
Bernardo de Muglo. Ep. XXVI. Pag. 102. Ep. XXIX. Pag. 103. Ep. XXVII. Pag. 99.
Caſtellanis. Ep. LXXX. Pag. 195.
Cicco, & Pariſio. Ep. LXXVI. Pag. 189.
Chocho. Ep. XXXV. Pag. 112.
Colligatis. Ep. XXXIV. Pag. 110. Ep. LXX. Pag. 180.
Comiti Everardo de Lando. Ep. LXXIV. Pag. 187.
Comiti Lutio de Lando. Ep. VIII. Pag. 63. Ep. XXII. Pag. 90. Ep. LXXIII. Pag. 186.
Comiti Ruperto de Battifolle. Ep. XXV. Pag. 95.
Conrado de Trinciis. Ep. XX. Pag. 88.
Domino Mantuano. Ep. XVI. Pag. 78.
Domino Othoni. Ep. L. Pag. 148.
Epiſcopo Arretino. Ep. LXXII. Pag. 185.
Epiſtola Colucii Cancellarii Florentinorum Ep. XLI. Pag. 121.

Fi-

Filiis Domini Cantis de Montevetulo. Ep. xxiv. Pag. 93.

Florentino & de Urſinis. Ep. lix. Pag. 162.

Franciſco de Savorgnano. Ep. lxii. Pag. 171.

Franciſco de Broſſano. Ep. vi. Pag. 44. Ep. xvii. Pag. 79.

Fulginatibus. Ep. xix. Pag. 86.

Galeotto de Malateſtis. Ep. lxxi. Pag. 183.

Guglielmo Viceecomiti Turenae. Ep. xxxvii. Pag. 114.

Iacobo de Appiano. Ep. xiv. Pag. 72.

Illis de Petra Mala. lxxix. Pag. 193.

Innocentio VII. Ep. i. Pag. 1.

Ioannello de Vico Mercato. Ep. xii. Pag. 70. Ep. xiii. Pag. 71.

Ioanni de Fabriano. Ep. xv. Pag. 75.

Ioanni Haucud. Ep. ix. Pag. 65. Ep. x. Pag. 67. Ep. xxxvi. Pag. 49. Ep. xxxviii. Pag. 117. Ep. xxxix. Pag. 118. Ep. xlix. Pag. 146. Ep. lii. Pag. 151. Ep. liii. Pag. 156. Ep. liv. Pag. 174. Ep. lxx. Pag. 181.

Innominato. Ep. vii. Pag. 49.

Magiſtro Donato de Caſentino. Ep. xlviii. Pag. 137.

Niccolao Cliſton Anglico. Ep. lxvi. Pag. 177.

Nobilibus de Ptholemaeis. Ep. xxxi. Pag. 105.

Omnibus Colligatis. Ep. xxiii. Pag. 92.

Optimo viro Ser Iuliano Gennarini. Ep. liii. Pag. 152.

Pazzino.

Perino Grimaldo. Ep. lv. Pag. 157.

Perotto Scatizze. Ep. xlvii. Pag. 134.

Peruſinis Thomas, & Andreas. Ep. xlvi. Pag. 132.

Peruſinis. Ep. xviii. Pag. 84. Ep. xxi. Pag. 89.

89. Ep. XXXII. Pag. 107. Ep. XLIII. Pag. 127. Ep. XLV. Pag. 130. Ep. LI. Pag. 149. Ep. LX. Pag. 164. Ep. LXV. Pag. 175. Ep. LXXI. Pag. 196.
Praefecto. Ep. IV. Pag. 38.
Rainerio Grotti Fantonis. Ep. LXXXIII. Pag. 193.
Regi Ungariae. Ep. LXI. Pag. 166.
Reverendo Magiſtro D. Fratri Nicolao de Agrigento. Ep. II. Pag. 25.
Rinaldo. Ep. LXVII. Pag. 178.
Senenſibus contra Magiſtrum Gabrielem de Vulterris. Ep. XL. Pag. 119. Ep. XLII. Pag. 126.
Senenſibus. Ep. XI. Pag. 68. Ep. XXX. Pag. 104. Ep. XLIV. Pag. 129.
Simeotto de Urſinis, & *Ioanni Sciarrae*. Ep. LVIII. Pag. 161.
Stipendiariis exiſtentibus in Comitatu, & *diſtrictu*, Ep. LVII. Pag. 190.
Vicecomiti Turenae. Ep. LVII. Pag. 159. Ep. XXXIII. Pag. 108.

Non-

Nonnulla menda, quae in hoc volumine interdum offenduntur, ita emendare lubet.

Pag. VIII. *Fervet*, *lege* *Servet*. 8. *divina*, *divinae*. 28. *inſidioſa*, *inſidioſae*. 37. *Martiniano*. *Martiano*. 43. *Robanduzzi*, *Rolanduzzi*. 46. *addita*, *abdita*. 47. *inbeſauſto*, *inexbauſto*. *Coeli*. *Caeli*. 70. *oppidum*, *Regio*. 99. *Retborem*, *Rbetorem*. 104. *Romae*, *Viterbii*. 111. *perduxerunt*, *perducerent*. 121. *Condubenſis*, *Cordubenſis*. 127. *quidem*, *quidam*. 145. ὕτι, ὅτι. 147. *ſummae*, *ſumme*. 152. *Fratrer*, *Frater*. 166. *Reipublicam*, *Reipublicae*. 173. *bei*, *beic*. 128. *Bononienſe*, *Bononienſi*. 189. *lib.* I. XIII., *tom.* 2. *lib.* XIII. 191. *inerente*, *incunte*.

ADPROBATIONES.

Dominus Io. Lamius, Publicus Hiſtoriae ſacrae, & Eccleſiaſticae Profeſſor, legat, & videat an permitti poſſit, ut excudatur liber qui inſcribitur. *Lini Pierii Colucii Salutati Epiſtolae*, & referat.

Ex Aedibus noſtris die 20. Martii 1742.

Iulius del Riccio Vic. Gen.

Die XXIV. Martii 1742.

Iuſſu Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Vicarii Generalis Librum perlegi, cuius titulus: *Lini Pierii Colucii Salutati Epiſtolae*, &c. & nihil in eo offendi quod Chriſtianis placitis, & bonis moribus adverſetur; quare publica luce dignum cenſeo.

Ioannes Lamius Publicus Hiſtoriae Sacrae & Eccleſiaſticae Profeſſor.

Attenta ſupradicta relatione imprimatur.

Iulius del Riccio Vic. Gen.

Imprimatur
F. Franciſcus Ant. Benoffi Min. Con. S. T. M. Vic. Gen. S. Inquiſit. Flor.

Carolus Ginori pro Reg. Celſit. vidit.

LI-

LINI COLUCII PIERI SALUTATI EPISTOLAE

I.

SANCTISSIMO ET BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI ET D. D. INNOCENTIO VII. DIVINA PROVIDENTIA DIGNISSIMO SUMMO PONTIFICI, VEROQUE ET UNICO VICARIO I. C. LINUS COLUCIUS SALUTATUS TERRAE OSCULUM ANTE PEDES.

NOn putes Sanctiſſime, & glorioſiſſime in Chriſto Pater & Domine, quem Deus omnium rerum Opifex ſibi Vicarium Petrique ſucceſſorem elegit ut paſceret oves ſuas; non putes, humiliter obſecro, me, ſicut in ſimilibus multi ſolent, tuis commendationibus immoraturum, licet qui te laudaverit, ſi ſincero corde fecerit, nec poſſit, nec debeat ſtultus dici. Scio quidem eum, qui de tuis virtutibus loqui velit, te veriſſime poſſe de virtutibus ſingulis celebrare. Sed occupentur obſequentes conſuetudini, panegyricis & laudationibus reliqui: mihi vero religio ſit

in aliquo me mentiri, atque placendi ſtudio, vel adfirmare quod neſciam, vel ficta colligere, quae deſcribam. Cognoſco didicique Pater optime, quod quicquid in te videtur aut creditur virtutis & bonitatis, quicquid ſcientiae vel ingenii, quicquid circa te felicitatis, & ſtatus adſpicimus, ab illo tibi eſt, qui dat omnibus adfluenter, & non improperat, cuius gratia ſumus quicquid ſumus. Quid enim habemus tu & alii, quod non acceperimus? Unde fit, ut gratulandum ſit illis, in quibus iſta videntur, ex eo quod Deus eos tali fuit dignatus honore, non afficiendi laudibus, quaſi fecerint, quod aliunde fatendum eſt, quum ad intimam veritatem acceſſerimus, provenire. Nam ut ad virtutes, quibus maxime commendandi credimur veniamus, quid eſt virtus niſi, prout recte diffinit Aurelius, bona qualitas mentis, qua recte vivimus, qua nemo male utitur, & quam ſolus Deus in nobis operatur? Si Deus illas igitur in nobis, & per nos facit, de quo nemo poteſt, qui recte ſentiat, dubitare, non nobis laudes, ſed ei, qui fecerit, procul dubio ſunt habendae. Conlaetari gratularique par eſt illis, in quibus iſta viderimus, & eis ipſis, qui in ſe dona tam magna perſenſerint, Deo gratiae ſunt agendae. Cavendum tamen eis ne quod ſacrilegum eſſet, ſibi tribuant quod eſt Dei, quodque ſtultiſſimum, ſcire debeant ne, in ſemet etiam, ſi poſſint, ut Apoſtolus de ſe dixit, non ſtulte facere glorientur, ſed ſolum glorientur in Domino, cui quidem datur gloria quum veritatem non occulimus, ſed fatemur. Ille namque nobis cuncta retribuit, qui

nos fecit. Retribuit quidem in tempore, quae iam tribuerat in aeternitate. Sicut enim quod eſſemus, in nobis non fuit antequam nos faceret, ſed in ipſo; ſic a nobis nihil omnino nobis eſt, niſi per ipſum. Nec putemus quod ab illo nobis ex merito quicquam detur. Bona quidem, quae feciſſe videmur, ille remunerat, qui eadem per nos facit; quumque ſimus eius, ſi qua bona facimus, inſtrumenta, pro menſura bonorum, quae per nos facit, nobis remunerat bona quae fecit. O mira Dei miſericordia redundatiaque bonitatis eius! Quum enim auctor ſit omnium, & tam merita fecerit, quam inſtrumenta, praemio, quod vult pro meritis debitum, bonitate ſua dignatur miſericorditer inſtrumentum, retribuens per ſolam gratiam homini ſecundum eorum menſuram, quae fecit in homine. Tibi ſint igitur commendationes, & laudes, aeterne, & inenarrabilis, miſericors, & miſerator Deus, qui licet feceris, nos eas non poſſe referre, vis attamen nos debere. Sint inquam tibi miſericors, & aeterne Deus, infinitae gratiae pro tot virtutum bonis, quas iamdiu in tuo Sanctiſſimo tunc futuro Vicario cumulaſti, quibus quidem digniſſimus ſuorum Sociorum, Cardinalium ſcilicet coetui viſus eſt, ad quem militantis Eccleſiae regimen, & gubernatio deferrentur.

Conveniſtis, ut audio, novem in conclavis ergaſtulo Cardinales, numero quidem, quoquo vertas, aequali, & quem ternarius in ſe multiplicatus perficit, atque gignit. Nam ſi tres punctos pro tribus unitatibus ſcribas, & eis tres, & poſt hos tres, alios ſuperponas, figuram

facies quadratam aequilateram, & talem, quae undique trium punctorum multitudine menſuretur. Qui ternarius quidem numerus divinitati congruit propter perſonalem aeterni Numinis Trinitatem, quique radix eſt cubicae molis per figurae quadrangulae paritatem. Ternarius etenim numerus Deo primus inter alios numeros, imo ſolus propter indiviſibilitatis myſterium ab arithmeticis dicatus eſt; ex quo ſenſu Poeta noſter dixit: Terna tibi haec primum triplici diverſa colore litia circumdo, terque haec altaria circum, effigiem duco: numero Deus impare gaudet. Nam tametſi monas, quam unitatem noſtri vocant, Deo ſingulariter aſſignetur, attamen ea numerus non eſt, ſed principium numeri, quo fiat ut trias inter numeros impares primus ſit, & multa, ſicut volunt, ratione perfectus. Primus enim omnium principium poſſedit, medium, atque finem, & ea ipſa monadum aequalitate diſtincta. Cumque dyas, primus quidem numerus ab unitatis integritate diſcedens, cuius ſolius adiectio cunctos perficit numeros, Deo non congruat, & monas ipſa ſingulariter in potentia numerus omnis ſit, & ſola poſſideat cuiuſcumque numeri dignitates, & perfectiones, quas omnes numerus nullus habet, primus numerorum iſte ternarius, ut perficiatur, & fiat, ad unitatem redit: tantae dignitatis, atque praeſtantiae, quod ſolus ex numeris de Deo cum unitate pie & catholice praedicetur, quem trinum, & unum fides ſinceriſſima confitetur. In hoc numero, ter ideſt in ſe multiplicato, Cardinales pro eligendo Summo Pontifice conveniſtis, & ſe-

ſecundum ternarii rationem volentes vos in capite veſtro perficere, & unire, ad unitatem pie atque ſanctiſſime rediviſtis. Videntes enim, proh dolor, & pudor! Sanctam Matrem Eccleſiam unitam in petra, qui Chriſtus eſt, gladio ſchiſmatis diſſectam, in Petro ſciſſuram hanc, quantum in vobis eſt, ad unitatem redigere cogitaſtis; cognoſcenteſque rem iſtam poſt Dei gratiam ab eligendi veſtraque voluntate pendere, primum de tollendo per unitatem ſchiſmate, quam eligendo per ſuffragia Summo Pontifice cogitantes veſtras, & eligendi voluntates, quoniam liberae, mutabiles, & ambulatoriae ſemper ſunt, nexu, qui vobis fuit poſſibilis, alligatis. Promiſiſtis quidem, ut vidi publico contineri chirografo, quod veſtrum quilibet dicitur ſubſcripſiſſe, non viciſſim ſolum vobis, & hominibus, ſed etiam ipſi Deo ſingulariter devoviſtis pro poſſe ſchiſma tollere, deſideratiſſimamque unitatem Sanctae Matris Eccleſiae nil omittendo de contingentibus celeritate poſſibili procurare, nec promiſiſtis, & voviſtis ſolummodo, ſed iuraſtis, ut modo non poſſitis propoſitum & opus hoc ſine periurii nota, ſummoque, & inexpiabili ſcelere, offenſioneque divini Numinis non implere, ſive voluntatem veſtram ad aliquid flectere vel mutare, quod impedire, vel differre poſſit rem tam piam, tam ſanctam, totique mundo tam optabilem, quantum erat gregem Dominicum in duos diviſum, vel ut verius loquar, iſta ſectione nimis graviter diminutum ad integritatem ſolitam revocare. Sed hoc dimittamus; & unde diſceſſit revertatur ora-

tio. Conveniſtis in novenario numero Cardinales, cuius radix eſt ternarius, qui numerus primus impar ut dictum eſt ad unitatem, redit quo perficiatur, & numerorum procedat auctione continua multitudo. Et vos ſimiliter in numerabili radice veſtrae congregationis, & coetus ad unitatis colloquia, imo foedera rediviſtis, nec rediviſtis ſolum ſed ea, quantum in vobis fuit, per Dei gratiam concluſiſtis vos ad unitatis procurationem religioſe Deo, viciſſim vobis, & communiter univerſis ſolemniter obligando promiſſione, voto, iuramento. Novem enim, quem numerum ennadem Graeci dicunt, prout a multiplicato per ſe ternario venit, in quo gratia divini numinis conveniſtis, numerus eſt quadratus aequalem habens, ut oſtenſum eſt, undique dimenſionem numerorum omnium terminus a quo quidem ad monadem fit reverſus, & hinc eſt prima converſio numeralis. Siquidem poſt novem tam figura quam re ad ipſam revertimur unitatem. Decas enim unus eſt numerus decem unitatibus aggregatus, qui per unum, & cyphram quae nullum importat numerum, deſignatur, ut certum ſit quicquid ultra novenarium accedit, ad unitatem redire. Et quoniam Mars omnia terminat, atque vertit, hunc numerum, qui numeros omnes vertit, Marti Gentilitas deputavit, quem planetam non Martem aliqui ſed Herculem appellarunt, ex quo ſenſu dictum arbitror tragicum illud, quod de Hercule ſcriptum eſt: Imparem aequaſti numerum Deorum. Cum verus, & ſolus divinitatis numerus ternarius ſit, cuius imparitas ſolum in nove-

nario

nario, ſicut praemiſimus, adaequatur, & ipſum Marti, & per conſequens Herculi, quos idem volunt, conſecravit antiquitas. Quid rectius de Hercule dici potuit, cui quum Mars ſeu novenarius competat, quam quod imparem aequaverit numerum Deorum? Sed hos Deos, gentium ſcilicet ſtultitiam dimittamus, & octo Coelorum peripherias nonamque immobilem, quam terram voluerunt antiqui Platonicique Philoſophi, quibus putabant omnia generari, nonne totam multitudinem Angelicae creaturae Dominus ipſe tribus hierarchiis, & ter tribus ordinibus explicavit? Ita profecto. Ut veſtrae congregationis numeralis, & diſcreta quantitas Angelicos illos ordines ſine dubio figuravit, & novem Cardinalatus Principes typum gerant totidem capitum ex ſacratiſſimis illis ordinibus ſelectorum. Nam quum ſanctiſſima, Seraphin, auctoritate Hieronymi, ardentes, vel incendentes interpretentur, ad caritatem pertineant, defuit ne vobis caritas ad Sanctam Matrem Eccleſiam, qui de reintegratione ſua tamdiu ardenter, tamque concordi bonitate, & ſinceritate ferventis intentionis, gratia divini numinis, cogitaſtis? Quumque ſuccedentia ſecundum ordinem Cherubin, eodem Hieronymo teſte, inter alia ſcientiam multiplicatam, ſive multitudinem ſcientiae, vel ut quidam tradunt, ſcientiae plenitudinem interpretata ſignificent: nonne plena vobis fuit ſcientiae multitudo, qui tale principium tollendo Schiſmati qualis eſt obligatio praelibata veſtro conſilio reperiſtis? Et ut primae hierarchiae tres Angelorum ordines expediamus, throni, qui ſunt

Dei iudicantis ſedes, nonne vobis illa tractantibus adfuerunt? Nonne videtur Deus in vobis velut in ſuae maieſtatis throno iudicans cauſſam ſuam, cauſſa quidem Schiſmatis ſua eſt, iudicans inquam cauſſam de gente non ſancta, & erepturus ſponſam ſuam ab homine iniquo, & doloſo manifeſtiſſime conſediſſe, ut negari non poſſit huius primae hierarchiae proprietates, & dona vobis, imo in vobis tam adaequate, quam realiter exſtitiſſe? Quum autem eſſetis domini creandi ſpirituale caput, & Sanctiſſimum Chriſtianitatis Principem cum pleniſſima clavium poteſtate, nonne coeleſtes illas Dominationes eligentes verum Chriſti vicarium Principatus, & Poteſtates evidentiſſime repreſentaſtis, quae ſecundam perficiunt hierarchiam? Quantum autem ad tertiam pertinet, quae Virtutibus, Archangelis, Angeliſque completur, quot, qualium, quantarumque virtutum fuit proprios vincentes affectus ad Schiſma tollendum, etiam cedendo Papatui, voluntates veſtras tam multis vinculis alligaſſe? Removiſſe quicquid obſtare, vel obſidere potuiſſet? Crede mihi, Pater Sanctiſſime, quum ex vobis multi ſperarent, aliqui non improprie, non ſtulte poſſent, aliquique ſperare deberent ad ſummum illum apicem pervenire, non Angelicae ſolum, non coeleſtis, ſed divina prorſus virtutis fuit ad tollendum Schiſma, & ipſius unitatis affectu, ad renuntiationem tam ſublimis gradus, qui ſit ipſi Deo proximus, ſe ligare. Nec virtutibus ſolummodo hierarchiam infimam attigiſtis, ſed annuntiantes unitatem Eccleſiae, qua nihil in humanis eſſe poteſt excelſius,

ipſos

ipſos Archangelos, notamque faciendo. Summi Pontificis electionem Angelos veſter coetus imitatus eſt, & huius hierarchiae rationem, atque ordines adaequavit. Ergo, ſicut declarat effectus, non homines, ſed novem Angeli in coeleſtium hierarchiarum proprietatibus, atque virtutibus conveniſtis; Angelicos, atque hierarchicos producentes effectus; de quibus, quum ſatis pro epiſtolari ſerie dictum eſt; ſtilus ad alta flectendus, & ad te ſicut propoſiti ratio iubet, Pater Sanctiſſime, dirigendus eſt.

Quid facies, Pater optime? Quid cogitabis, Vicarie Ieſu Chriſti? Altiſſimae ne dignitatis ſplendor obumbrabit tibi, & quum audieris vocem de medio nubis dicentem in annunciatione futuri Pontificis: hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite; timebis, & cades in terram? An potius, ut te decet, ſtabis inconcuſſus & erectus expectans avide vocem illam, poſt quam ſupra te neminem videns niſi Chriſtum hoc eſt Vicarium Ieſu Chriſti? Stabis profecto, ſi pones tenebiſque ſemper ante te Sanctiſſimum illum chirographum, cui te cum aliis ſubſcripſiſti, quo te tibi, te Cardinalibus, teque mundo, quodque plus, & gravius, & urgentius eſt, te Deo, Virginique Mariae, beatiſſimiſque Apoſtolis Petro, & Paulo, promiſſione, voto, iuramentoque ſolemniter obligaſti. Spopondiſti pro amico tuo, defixiſti apud extraneum animam tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus tuis; fac ergo quod debes, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui, diſcurre, feſtina, ſicut inquit ſapiens,

ſuſci-

ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, ne dormitent palpebrae tuae, eruere quaſi damula de manu, & quaſi avis de inſidiis aucupis. Si neſcis amicus tuus eſt anima tua, amicus eſt & ille qui partem gregis dominici ſecum traxit, per quem in te, hoc eſt in praedeceſſore tuo Urbano, ſectio coepit, pro qua tollenda reſignare gregem, quem abegerit, obtulit ſe paratum. Pro anima tua fideiuſſor apud eum factus es, ut ſi ille ceſſerit, & tu cedas. Ut ſe liberet fideiuſſor procuret oportet principalis, ſoluat, vel ipſemet faciat ſatis. Nec offerre, quod debetur ſufficit, niſi debita conſignatio cum depoſito realiter ſubſequatur. Non deſiſtas igitur, donec promiſſio, quam feciſti, ſoluta ſit. Dic animae tuae promiſimus, quod voluiſti, rei ſumus, obligati ſumus. Obligati quidem ſumus Deo, ſuperis omnibus, hominibus cunctis id facere, quod ante promiſſionem, atque chirographum facere tenebamur; quis enim hoc bonum publicum facere non tenetur? Sed acceſſit huic vinculo data fides, obligatio iuramenti, ut illam non praeſtare, vel hoc tranſgredi nefas ingens, & inexpiabile ſcelus debeat reputari. Hactenus autem negligentiae nobis, & incuria potuit iure forſan opponi: poſt haec vero ſi non facimus, quod promiſſum eſt, foedifragi dicemur ab omnibus, & periuri. Plus criminis eſt omittere quod promiſeris, quam quod debes. Qui non facit enim debitum hoc, imo tenetur capite quia non fecit. Omittens vero, negligenſque promiſſum non facit & ipſe plane, quod de-

bet,

bet, ſed etiam decipit, fallit, & quo nihil eſt ſceleratius, fidem rumpit. Fides haec moralis, ut vult Cicero, fundamentum eſt iuſtitiae, vocata fides ex eo, quod fiant, quae dicta ſunt, aut etiam, ſicut arbitror, quia fieri debeant, quae diximus promittentes. Nec hanc fidem crediderim ſimplicis iuſtitiae ſolum, ſed legalis etiam iuſtitiae, quae virtus omnis eſt, quaque nihil eſt clarius fundamentum. Spondet enim viciſſim ſibi civitas univerſa legis obſervantiam quum legem recipit, vel auctoritatem legis inſtituendae concedit; ut contra fidem facere nihil ſit aliud, quam ſacratiſſimam iuſtitiam violare. Haec omnia vides, Sanctiſſime Pater per teque cognoſcis. Utinam ſic memineris ut noviſti. Sed quia dulcis amor regni, blandumque poteſtas, ut Statius inquit, metus eſt aliquibus, multorumque, qui tuam conſtantiam non noverunt, & ex ſuis moribus alios aeſtimant, coniectatio eſt, quod ſuavitate, ſplendoreque dignitatis adlectus, Conclavis, & obligationis immemor, ad retinendum quae poſſides, te convertas, & ſublimitatis ſtatu, quem obtines, viliorem, & poſthabendam iudices ſanctam, & exoptatam omnibus unitatem. Ego vero conſiderans virtutum perfectionem, bonitatemque, vitae munditiam, morum integritatem, ſummamque altitudinem ſcientiae, qua cuncta diſcernens, quantum homini licet, non potes, non velis, & ſponte, & ſcienter velis errare, virtutum perfectionem, inquam, & reliqua, quae tibi Deus ſua benignitate conceſſit perſpiciens, videnſque, quali te cum aliis alligaveris iuramen-

mento, mihimet perſuadere non poſſum te nimium aſpicere dignitatem, quam communiter obtinuiſſe cum omnibus, qui ſederunt adhuc, amodoque ſedebunt in cathedra Sancti Petri. Magnum quidem eſt, ſed tibi tamen hactenus commune cum multis, habituro tot etiam ſocios, quot uſque in finem ſaeculi ad eamdem pervenerint dignitatem. Schiſma vero tollere Pontificatus gloriam deponendo, ſingulare quidem erit, & unicum, & quod hactenus ſit, iam quatuordecim ferme ſaeculis, ex quibus fuerunt Vicarii Ieſu Chriſti, penitus inauditum, & forte donec finis rerum veniat nullis unquam temporibus audiendum. Equidem arbitror, ut multi tradunt, a Petro tecum ducentos & octo Summos Pontifices extitiſſe, ut totidem habeas dignitatis ſocios, quibus te vides Papatus titulo parem eſſe. Multi, ſicut tenemus, & ſcimus, pro fide Chriſti fuerunt martyrio coronati. Varia varii magnifica, & memoranda geſſerunt. Renunciantium vero Papatui praeter unum, & ipſum illum ſola rerum diffidentia, nullum omnino memini me legiſſe; ut omnis quaecumque gloria Papatus Sociorum multitudine communis vulgata, communicataque, non ſingularis, vel unica dici debeat: gloria vero reſignationis propter ſchiſma tollendum, totque pecudes errantes, quot credunt alteri vel obediunt, licet forte non credant, ad caulam, & Dominicum ovile reducere, tot reges, tot principes, tot populos, tot urbes, atque provincias ad unitatem Sanctae Matris Eccleſiae revocare, tantum, & tale meritum eſt, taliſque

ſque benedictio quum natos natorum, & qui naſcentur ab illis univerſaliter comprehendat, quod nulla gloria poſſit huic gloriae comparari, ut nedum Papatus, ſed etiam ipſa vita libenter ſit pro talis reparationis merito deponenda. Deus ipſe, qui non liber ſolum, ſed in abſtracto libertas eſt, quique nulli poteſt niſi ſibimet aliqualiter obligari, pro ſuis ovibus filium miſit regem omnium, & dominum univerſi, qui formam ſervi accipiens, adeo ſe, ſicut inquit Apoſtolus, exinanivit, quod quum regem ſe fateretur, & eſſet, tamen dixerit regnum meum non eſt ex hoc mundo, & illud: Vulpes foveas habent, & volucres Coeli nidos, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput. Ut ex his ſine dubio dici poſſit eum mundi regno, divitiiſque, pro ſalute fidelium, renuntiaſſe, nec hoc feciſſe ſolum, ſed in maximae caritatis affectu denique vitam, hoc eſt, animam propriam poſuiſſe. Nunc autem tot animae, quot tibi non credunt, in tenebris, & umbra mortis ſunt. Quid facies igitur ſucceſſor Petri, qui iuraſti, quique promiſiſti, & obligatus es non liber ut Deus? Poenitebit ne te, & non facies ſicut Deus, de quo ſcriptum eſt: iuravit Dominus, & non poenitebit eum? Permittes ne gregem tibi commiſſum errare, imo perire poſt pſeudovicarium veri Dei? Scio quod dederit te Deus ſpeculatorem domui Iſrael, & quod impius morietur in iniquitate ſua, ſanguinem autem eius de manu tua requiret, ut apud Ezechielem dicit Dominus. Requiret enim ſi per te ſteterit, ſique debitam diligentiam non appones,

nes, ut revoces filium tuum, & proximum tuum, ab iniquitate ſua, & via ſua prava. Noli negligere, vel differre, ſed iuxta praelibatum ſapientiae regalis oraculum diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. Colloquia redintegrationis, & unitatis Eccleſiae, crede mihi, caro, & ſanguis non revelavit vobis, ſed Pater noſter, qui in Coelis eſt. Ille quidem vos inſpiravit. Ille dictavit vobis promiſſiones, & iuramenta. Ille vobis oſtendit pulchritudinem unitatis. Ille vos deflere fecit ſuper abominando ſchiſmate, quod patimur, & videmus. Digito denique fortaſſe Dei ſcriptum eſt, quicquid tunc unanimiter ſubſcripſiſtis. Si veniſſet enim Chriſtus corporaliter inter vos, quid potuiſſet vos clarius, vel ſalubrius monuiſſe? Memento, Pater Sanctiſſime, quod quum eras per Dei gratiam Cardinalis, per te principaliter Deus illa praeſcripſit, compoſuit, inſpiravit, & quod unionis propoſitum ſemper prae caeteris ardentius perſuaſiſti, foviſti, & proſecutus es, oro, & ſupplico, & exhortor, quod in illa voluntate ſanctiſſima, piaque, & ardenti deſiderio non tepeſcas. Promptiorem fac te cuncti videant Imperatorem eſſe, quam militem, Summum Pontificem, quam gradu proximo Cardinalem. Reminiſcaris, quam urgenter illi quondam tuo Domino Bonifatio ſuper hoc negocio Schiſmatis incumbebas, quibus ad id accendebas rationibus tuos fratres, tunc temporis Cardinales, quam graviter, & moleſte ferebas, quum idem non ſentire tecum, vel

pau-

paulisper ſuper hoc tepeſcere videretur. Ille quidem obſeſſus paſſionibus, amore ſcilicet dignitatis, & eius deponendae metu, quae rationem omnem ordinatae mentis in eo perturbabant aegrotans, tua, vel aliorum conſilia non audiebat. Nec aliter eſſe poterat. Tumultus enim, & fervor paſſionum a ſerenitate tranquillitatis adeo mentem vellit, quod in illius turbationis motu, nec conſilia recipit, nec intelligit rationem. Tu ſi ſapies ab hoc amore, vel metu diligentiſſime te purgabis. Imbibes, atque nutries unitatis amorem. Illam intuebere, quibuſque veniat ſociata cum bonis, tecum ipſe conſiderabis. Quod ſi facies, & ex animo, atque ferventer facies, crede mihi, videbis in eam publicam utilitatem, animarum ſalutem, directionem Eccleſiae, pacem, atque laetitiam converſationis hominum univerſae. Sin autem teneri videbere dignitatis amore, quod tanto periculoſius eſt, quanto clariorem cernimus Apoſtolicam Sedem omnibus Praelaturis, nonne poterit tibi Terentianum illud dici facile: Omnes quum valemus recta conſilia aegrotis damus. Tu ſi hic ſis aliter ſentias? Sed haec de ceſſione tibi ſatis, parum autem volenti, quod ratio iubet forte nimis.

Plura tamen de ceſſione diximus quoniam hunc paſſum difficiliorem caeteris reputamus, ut qui fuerit ad hanc diſpoſitus, ſine labore ſit ad quidlibet aliud dirigendus. Non ſumas ergo quae dixi ſicut qui velim, vel perſuadeam hoc praeciſe te facere meditari, vel procurare, nec quod putem ab illo ſanctiſſimo propoſi-

poſito, quod ſemper quum maior eſſes multis, ſed cum multis, nunc quum factus es omnium maximus, atque ſolus, te depoſuiſſe vel immutaſſe, ſed ut ad unitatem hanc viis omnibus te componas, & de dignitate ſecurus, depoſitionem etiam ſi fuerit neceſſarium non horreſcas, ne quod contra rationem nominum tuorum eſt minus in hoc fervens videaris Innocentius quam Coſmatus. Quod enim graece Coſmos dicitur, mundus apud Italos appellatur. Coſmatus ergo mundanus ſonat, quod quum tibi nomen fuit, caeleſtis in omnibus, ſed in hoc praecipue, ſemperque prae caeteris exſtitiſti. Nunc autem quum, ſicut Deo placuit, Innocentius appelleris mutaberis ne forſitan in nocentem? Abſit a te, Pater Sanctiſſime, talis error. Sed ſi ut de mundano factus es innocens, ita Sanctiſſimorum operum bonitate merearis re, non ſolum nomine, Sanctiſſimus appellari. Sed quum de te ſumma mihi fiducia, ſummaque ſpes ſit, nimis metuo circumſtantes, & illos magis, qui tibi propriores ſunt dilectione, fide, gradu, converſatione, ſanguine, vel affinitate, qui ſi te ſpiritualiter non carnaliter diligerent, amarentque, te vero amicitiae genere, propter te, non propter ſe non eſſent imo formidoloſi, neque tibi ſcandalo ſed adiumento. Viderent te ſedentem in cathedram, ſi ſchiſma nutrias, peſtilentiae, ſi vero ſuſtuleris, dignitatis, & gloriae. Si de ſchiſmate tollendo non cogites, vel non cures, viderent te in ſede tumoris atque ſuperbiae, qualem ab aquilone ponere creaturarum pulcherrimus cogitavit. Viderent etenim, atque potius

tius vellent glorioſum te fore quam Papam. Sed qui carnaliter, & ad utilitatem vivunt ſuam, quo divitiis abundent, honoribus ſplendeant, & dignitatibus, ac potentia venerentur, te cupiunt eſſe Papam, & ſolum, atque Catholicum fore Papam, ſperant enim omnia per te non ſolum quae dicta ſunt conſequi, ſed quicquid etiam a cupidiſſimis poteſt optari. Iſtos obſecro Sanctiſſime Pater caveas, immo fugias, eoſque in his, quae ab unione te distrahant, & divertant, non ſolum non exaudias, ſed nec audias. Nimis enim efficacia ſunt, & irrefragabiliter perſuadent, quae poſitis in dignitate, quo ſtatum conſervent ſuum ſub obtenta dilectionis, & amoris a domeſticis ſuggeruntur. Fidelis quidem eſt perſona, fideleque conſilium creditur, quod ad id, quod diligas, exhortatur. Sed ſi filio, ſique ſervulo credes tuo, Sanctiſſimam unionem, quam promiſiſti, voviſti, iuraſtique ante mentis oculos ſemper habebis. Illam diliges, illam quaeres ad illam totis affectibus ſuſpirabis. Non petas, nec audias ſuper hoc conſilium, ſed voti reminiſcaris tui, cuius neceſſitati te libere ſubiecisti, immo quod voluntarium erat in neceſſarium commutaſti. Aeterna ſalus animae tuae cum hac unitate iuncta eſt. Si te ſalvum cupis, per unitatem iſtam tranſeas neceſſe eſt. Omnis alia via, non arcta, non difficilis ſolum, ſed inacceſſibilis prorſus eſt. Nam quantum ad conſilium attinet, ante conſulendum fuit, quam promitteres, ſiquidem de neceſſariis nullum omnino conſilium eſt. Quid enim aliud, ſi fidele conſilium fuerit,

audies, niſi quod promiſſiones impleas tuas? Quod recta compendioſiſſimaque via pergas ad unitatem? Quid reſpondebis aeterno Iudici cum in examen eius veneris, quo ſumus omnes tandem, quantumcumque diſtulerimus, perventuri? Oſtendet ille chirographum, quod feciſti. Ponderabit tecum verba tua. Promiſiſti dicet, quod quam citius commode fieri poterit omni tergiverſatione, ac dilatione, aut alia quacumque occaſione omnino ceſſantibus, & remotis & omni modo, via, & forma, quibus poteris effectualiter procurabis, & operas ſollicitas, & efficaces tibi poſſibiles interpones, ac totis viribus & poſſe facies, quod Schiſma de Sancta Mea Eccleſia removeatur, ac radicitus extirpetur, & Sancta Mater Eccleſia ad unitatem toti orbi neceſſariam reducatur. Et quod circa praedicta expedienda, & ab ipſa plenarie adimplenda, & effectualiter ac ſollicite executioni debitae demandanda cordialiter, & poſſetenius attendes, nihil de neceſſariis, & utilibus, & quomodolibet opportunis penitus omittendo, etiam uſque ad renunciationem, ſeu ceſſionem per te faciendam incluſive, ſi fuerit expediens ad executionem praedictorum; haec verba tua ſunt. Memento: quam citius commode fieri poterit omni tergiverſatione, ac dilatione ceſſantibus, & remotis. Quidquid hoc diſtulit contra votum fuit, tergiverſatio fuit, & omnino tale, quod eo contra fidem, & ſponſionem tuam, me graviter offendiſti. Quid reſpondebis Domino Deo tuo taliter increpanti? An primi Parentis imitatione referes

Car-

Cardinales, & alii quos dediſti in ſocios ſic conſuluerunt, & ita ſecutus ſum, ut illi ſuggeſſerunt mihi? Quid autem replicanti ſubicies: promiſiſti ſollicite procurare, interponere, ſi recordaris, operas efficaces, ut Schiſma de meae Sanctae Eccleſiae corpore depellatur. An putas me non vidiſſe, quod illa conſilia dilationem unionis, nutriendique Schiſmatis ſpatium exhibebant? An credis me neſcire quantum tibi ſtatus Apoſtolici ſublimitas blandiebatur? Scrutor renes, & corda, videbamque quid illi conſultores tui ſibi, quidque tu temet tibi dum in conſultationem adduceretis, ſuadebatis. Haec & alia tunc increpanti Deo, teque non de tergiverſatione dixerim, equidem credo te per Dei gratiam illo vitio mundum eſſe, ſine macula turpitudinis eius fore, quidquid ingruat vel contigerit in futurum, quid tunc inquam dilationem, & negligentiam increpanti tuam, requirentique ſollicitudinem, quam iuraſti, poteris reſpondere, niſi: peccavi. Domine miſerere mei? Quid reſpondebis ulterius arguenti: breviſſimam, & compendioſam paravi tibi viam tollendi Schiſmatis, quam adverſarius obtulit, ceſſionis paravi quidem & docui, & oſtendi, feciqne quod eam voveres. Mihi, Matri meae, meiſque Apoſtolis, & electis promitteres tunc ſociis, iuraresque, ſicut verba tua ſonant communiter, univerſis. Quid ceſſaſti? Quid dilatione, quid conſilio fuit opus? Cur non recta via in id quod promiſeras perrexiſti? Cur recuſaſti cum adverſario convenire? Cumque vix foveres, vel ſaltem crederes te fovere, cur via diſcuſ-

 ſionis

ſionis & iuſtitiae negaviſti? Quid fuit iſta reſpicere, nullamque viam offerre, quae tibi grata foret, niſi tibi non eſſe curam gregem meum Schiſmate diviſum in illis tenebris permanere? Sed expectaſti carnaliter, ut ſunt hominum vanitates, cauſa confiſus tua, quod ille cederet, teque verum recognoſceret in Paſtorem, quod tot praelati, tot reges, tot principes, totque domini, tot urbes, & tot populi, quot in illa mortalium caecitate, quam ſumma iuſtitia, miſericordiaque ſumma permiſi, poſt Clementem Benedicto credebant ſequentes eum, ſe fuiſſe Schiſmaticos aeterna cum infamiae nota putantes, & ad te venientes meum eſſe Vicarium faterentur. Sed quotidie ſtultas facio prudentias hominum, voloque quod humiliatus non in illa dignitatis ſuperbia tumens Schiſma ſuſtuleris, & univerſum terrarum orbem in perfectam renovaveris unitatem.

Sed omittamus divinum illud examen, cui quidem omnes ſine dubio reſervamur, & iſta pene carnaliter ponderemus. Hic apex Apoſtolicus, Summi Pontificii dignitas, gloriaque Papatus. Sed talis, quod in ipſo poſitus ſummus antiſtes Gregorius ſe Servum Servorum Dei non dubitaverit appellare. Sed talis, quod idem paſtor ſe dignum illam non putaverit obtinere. Sed talis quod viventi fluat, poſt hoc autem exilium vix memoria valeat retineri. Index vero ſalutis, culmen humilitatis, ſumma, meritum, inextinguibiliſque gloriae fundamentum, cuius auctor non Servorum Servus, ſed Salvator Schiſmate pereuntium iure poterit appellari. Humilitate Deo

pro-

proximus, quo nihil altius poſſit tribui, cuique nulla mundana gloria valeat comparari. Quid facietis, ut ambobus loquar, tu qui publice per tuos nuntios viam etiam ceſſionis, ut Schiſma cederet, in oculis tantae multitudinis vero Chriſti Vicario primus, & incipiens obtuliſti, tuque hinc qui velut ſtipulationem reſpondens, idem Deo, ſuperis, & inferis voviſti, promiſiſti, iuraſti? Quid ambo facietis inquam? Ibitis ne facto per inficias, & differendo, tergiverſandoque a tam ſancto propoſito diſcedetis? Vos ambos non meo ſolum, ſed cunctorum fidelium nomine, quorum quum negocia fideliter, & utiliſſime faciam, quod geſtum fuerit ratum habere debeant, atque cogi meo, fideliumque cunctorum nomine de Schiſmatis huius anguſtiis in verae caritatis incendio zeloque clamans, & alte clamans, ut firmis lateribus emiſſam vocem meam, huius ſcriptionis miniſterio mundus totus audiat, quique debet, & poteſt exaudiat appello, requiro, obſecro, & obteſtor, praeſtate fidem, facite quod dixiſtis. Non fuerint haec oſtentationes, & verba: ſint, exoroque petoque ſicut veſtra ſalus, & omnium exigit, & ſingulariter veſter honor, obſervationes, & facta. Non ſint, ut vulgo dici ſolet, mille millia paſſuum inter dictum, & factum. Sint conſona dictis facta, nec ſolum conſona, ſed ſequacia, ſed propinqua, ſed immediata; Conſuluiſtis ambo, ſicut arbitror, ſine conſilio quidem ne tu obtuliſſes, nec tu iuraſſes. Nihil inquit ſapientis imitator ſine conſilio facias, & poſt factum non poenitebit. Veriſſimum hoc tene-

te. Nec enim paenitebit vos niſi non feciſſe, vel forſitan diſtuliſſe. Nolite tanto ſalutis veſtrae noſtraeque periculo poenitere, vel expectare, quod vos pertineat. Serum nimis eſt, quod poſt poenitentiam agitur, nec ſerum ſolummodo ſed moleſtum, & ingratum. Et ut ad te, Pater Sanctiſſime, redeam, quid gratius adverſario tuo fieri potuit ſi nolebat forte, quod obtulit, quam, ſicut factum eſt, non acceptare quae dixit, nec offerre quicquam verſa vice, quod inſtantia tam honeſta petivit? Quis non dicat illum ſuperiorem cauſa iudicioque, licet iure, tituloque ſit inferior, atque minor? Sed ut ad utrumque redeam, & aliquando concludam, cogitate cunctorum fidelium aures, & oculos ad huius rei ſpectaculum elevatos. Expectant omnes de tam arduis oblationibus, tam piis, tam ratis, tantaeque divinitatis, & ſanctitudinis iuramentis, fructum optabilem, & acceptum, videlicet quod Schiſma tollatur. Non poteſtis amplius rem differre. Ille nocentiſſimus, & iniuſtus erit, qui pedem retro tulerit, vel ad exitum cum inſtantia non properabit. Eo neceſſitatis res deducta, ut ſi per vos Schiſma non tollatur, vel alterum, vel ambos oporteat remanere confuſos. Qui noluerit Schiſma tollere ridebitur, relinquetur, omniumque conſenſu, indigniſſimus reputabitur, qui ſedere debeat in cathedra Moyſi; vel Sede digniſſima Sancti Petri. Nil proderit allegare iuſtitiam ſuam, & fidem nunc ſibi credentium implorare. Obturabunt aures, obdurabunt corda, nec illum audient, vel exaudient qui de tollendo Schi-

ſmate

ſnate noluerit audire. Ambo vero ſi non praeſtetis fideliter iam oblata, promiſſaque, ſicut deludetis omnes, ſic ab omnibus deluſi, exauctorati, exploſique iudicabimini non eſſe patres aut ſponſi, qui diviſam volueritis ſponſam in ſciſſura, & abominatione Schiſmatis permanere. Sin autem, quod ſummo deſiderio & affectibus totis exopto, ad integritatem inconſutilis tunicae Sanctam Matrem Eccleſiam dirigetis, glorioſi, clariſſimique in conſpectu Dei, cunctorumque mortalium evadetis. Et ut de Moyſe legitur dilecti a Deo, & ab hominibus memoria veſtra in benedictione erit, & ſimiles vos Deus faciet in gloria Sanctorum, & magnificabit vos in timore inimicorum, glorificabit vos in conſpectu regum; & iunget vobis coronam populi ſui ac oſtendet vobis gloriam ſuam. In fide, & lenitate veſtra ſanctos faciet vos, & eliget ex omni carne; audivit enim voces veſtras, & dabit vobis cor ad praecepta, & legem vitae, & diſciplinae, ut univerſus Apoſtolatus ſplendor cum hac gloria nequeat comparari. Plura reſtarent, Pater Sanctiſſime veriſſima, & aperta, quibus, quam hac epiſtola ventilavi, concluſio probaretur, perſuaderetturque; ut non ſolum huius tollendi Schiſmatis rationem, & neceſſitatem intelligeres, ſed & velles. Sed experientia compertum eſt moderata vel pauca volenti, diſpoſitoque ſufficere; nolentem autem plura, vel etiam omnia non movere. Sed ſicut in verae, ſanctiſſimaeque charitatis affectu dedit Deus, & voluit, quod iſta fideliter ſciberem, ſic ſanctitatis tuae diſpoſitam iſta re-

cipere praebeat voluntatem. Nec ſit qui me de praeſumptione reprehendat, quod tam alta tentaverim, quodque tam imperioſe, tamque libere ſim locutus. In charitate quidem ſcribens quid metuam, quid horreſcam? Excludit omnem timorem charitas, etenim verus amor omnia ſubſtinet, nihil timet, ad res arduas accenditur, dubias ſuſcipit, & licet multa forſan inſtent, inter pericula non diſtinguit. Scio me non haec ex aliqua paſſione, ſed ex vera charitate, & amore dixiſſe, ſcio etiam quodcumque futurum ſit apud alios de re tanta judicium, meam conſcientiam puram eſſe. Nihil opto, nihil poſtulo, nihil volo niſi gloriam tuam, niſi ſalutem tuam, hanc ſcilicet unitatem; quam quum videro de gaudio tantae gratiae nihil ſupereſt niſi quod diſſolvi cupiam, & eſſe cum Chriſto. Tu vale, Pater Sanctiſſime, & hanc tibi paratam gloriam oro non negligas, ſed eam amplectere, eique tu obviam facito, de hac mortalis mundi immortali gloria, quam acquirere Dei gratia potes ad illam tranſiturus, quam Aeternus Deus in aeterno mundo tibi, ſicut vides, & omnibus mundum deſerentibus per infinitam ſuam Clementiam aeternaliter praeparavit. Florentiae XII. Kal. Ianuarii. (1)

RE-

(1) Haec Epiſtola ſcripta eſt anno 1404. in quo ſub nomine Innocentii VII. Pontificatui aſſumptus eſt Coſmatus Melioratus Sulmone dioeceſis Valvenſis in Aprutio, Provincia Siciliae verſus Campaniam mediocri Familia Meliorata

II.

REVERENDO MAGISTRO D. FRATRI NICOLAO DE AGRIGENTO, ORDINIS MINORUM, SACRAE THEOLOGIAE EGREGIO PROFESSORI, PATRI MEO CARISSIMO.

VEnerabilis Magiſter. Scripſiſti pluries, & poſt tuum diſceſſum illo elegantiſſimo ſtylo tuo, hanc urbem regiam pupugiſti, ſalutaribus, & quantum in te eſt, validis atque fidis rationibus, ad pacem hos ci-

ta ortus Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Ieruſalem. Ad hunc Pontificem eligendum ex Gobelino, in Coſmod. aet. 6. cap. 88. ſeptem tantum Cardinales conveniſſe refert Panvinius. Ego vero Colucio credendum eſſe cenſeo, qui in hac ipſa Epiſtola *pag.* 3. novem conveniſſe affirmat, huius enim rei ſecurus teſtis videtur quum eo tempore viveret, quo id factum eſt. Cum Colucio convenit Contelorius, qui in Elencho Cardinalium ex Libro Collegii S. Romanae Eccleſiae Cardinalium, & ipſe novem fuiſſe refert. Novem igitur Cardinales iſti, die Dominica duodecima Menſis Octobris Conclave ingreſſi, ante omnia ſe iuramento obſtrinxerunt coram pluribus notariis, & teſtibus ſolemnibus, quod ſiquis eorum forte in Papam eligeretur omnem diligentiam adhiberet, ut Eccleſiae unitas reformaretur, etiamſi opus

cives exhortans, quibus omnino nec publice nec privatim exhiberi reſponſum, indignum mihi viſum fuit; & quia ex officii debito tuae in manus meas litterae devenerunt, ne ſine reſponſione aliqua miratus abires, hoc, quamvis prudenter, munus aſſumpſi, &, ut tibi reſpondeam, audacter uſurpavi. Scio autem multos egregios viros in hac urbe, qui meliori ſtylo, profuſioreque eloquentia, ſi tuas vidiſſent literas, reſpondiſſent, Sed quoniam ceteros animadverto tacituros, egò tecum loquar hoc pacto, ut, bona cum venia tua, impetratum velim, quae ſuggeram, me ſaltem locutum fideliter opineris, eaque omnia in partem bonam accipias. Hortaris quidem in primis Florentinos ad pacem cum Eccleſia faciendam, & ad ligam, in quam omnes Domini & omnia Communia in Italia praeſidentia ſunt ventura. Hanc ſecuritatem ſumam, & optima pro pacis obſervantia praeſerendo, poſſem te interrogare, quod bellum Florentinis cum Eccleſia ſit; & certe ſi recte reſpicias nullum bellum poteris aſſignare. Nuſquam collatae acies, nullam haec Communitas contra territorium Eccleſiae prorſus intulit novitatem. Quod igitur bellum tollet

iſta

opus eſſet ad hoc Pontificatu ſeabdicare. Ad hoc igitur iuramentum adludit cum *pag.* 12. ait *Oſtendet ille Chirografum quod feciſti &c.* De his, deq. Schiſmate, quod hiſce temporibus Eccleſiam infeſtabat (ne alios auctores memorem fuſius rem pertractantes) conſule Pagium in Brev. Hiſtorico-Cronologico-Critico-

iſta concordia? Certe nullum, niſi forte futura bella tollere geſtias, quae vel illatura ſit Eccleſia nullis offenſionibus laceſſita, vel commune Florentiae cuius moris fuit numquam bellum aſſumere niſi vel ad libertatem tuendam, vel ad repetendum quod iniuſte perdiderat, aut ad iniurias propulſandas, vel ulciſcendas; Quod quum ita ſit ex te ipſo quaerere velim qua de cauſa ſit Eccleſiae bellum Florentinus Populus indicturus. Si libertatis tuendae, hoc, puto ſi Eccleſiaſticis illam invadendi mens foret, immortale fiet: nec iam paci locum invenies niſi illos potentia invaſionis effugiat. Hic itaque ſi hoc bellum futurum eſt, tibi iam ariolor, fruſtra de pace cogites. Ceteris rebus repetendis pugnandum fore non video, niſi forte per Apoſtolatus auctoritatem cuncta ſibi poſcat Eccleſia; cuius Paſtor Ille immo petra fundamentalis negavit nedum in laicos ſed etiam in clericos ſibi competere Dominatum, inquiens; in Clero non Dominantes, ſed in formam facti gregis. Pro repellendis autem iniuriis, ſi non praeparentur, aut ulciſcendis, ſi illatae non ſunt nullo modo credimus dimicandum. Sed iniuriam ſe intuliſſe negat Eccleſia, de quo igitur pacem petit? Suſpicionem infert iſta pacis oblatio, quum in ſecreto conſcientiae ſe cognoſcant, qui tot artibus tantaque inſtantia pacem volunt quod obnixe negant ſe iniurias intuliſſe. Sed ſint iſta prout velis, & quem modum affers, & quod haec, quam tam tenaciter perſuades concordiam, ſit inſidiis caritura. Ego enim ſicut paci ſecure ſtuden-

dendum cenſeo, ſic dubiae, aut inſidioſa modis omnibus obſiſtendum. Pax enim paritura bellum, pacis nomen minime promeretur. Ligam Generalem adducis in medium, nec ſcio, an ipſam tam certe poſſis afferre; quis enim novit an ceteri in Italia praeſidentes, pro ut aſſeris in haec faedera ſint venturi? Quid illos maris Dominos, Venetos ſcilicet, & Ianuenſes, qui ſuis moribus vivunt, an in hanc ſententiam inclinaſti, ut iſtam contrahendam conſenſerint Societatem? Quid Domini Mediolanenſes? Quid Paduanus, & reliqui quorum per Italiam ingens eſt numerus? An, ut offers huius remedii conditionem accipiant? Si tu hoc ſperas vel ab Eccleſiae Paſtoribus cum effectu proferri, vel ab omnibus ut dicis amplecti, ego non credo, nec ſpero. Quod ſi fiat & in cunctis bene ſuccedat, ut aſſeris, quae ſecuritas ſequatur, obſecro, proferas? Ponamus ante oculos quae poſſunt accidere, ſi libertatem noſtram Eccleſiaſtica fraus invadat, quis nos priori conditioni reſtituet? Si aliquod magnum malum inferatur, quis, precor, reſarciet? An pro nobis cetera liga contra Eccleſiam bellis inſurget? Fruſtra, crede mihi, remedia iſta reſervas. Aut ante opprimetur haec aurea libertas, quam auxilia dentur, quae ſcimus non niſi cognita cauſa deberi; aut in exitiali periculo veniemus. Praeterea ut liceat vera loqui; dic precor: eſt ne nobis cum Eccleſia Sancta contentio? Minime. Cum quibus ergo certamus? Cum exteris gentibus? Cum Italici nominis hoſtibus

bus? Cum illis, quibus, quum Patria non ſufficiat, ſua, in miſeram Auſoniam mittuntur in praedam? Adde quod ſummus Pontifex poteſt, &, quod verecunde commemoro, ſolet de plenitudine poteſtatis rumpere faedera, contractus reſcindere, iuramentis abſolvere, & omnes ab huiuſmodi promiſſionis nexibus liberare; & unius reſcripti edicto conſuevit infringere, quae multis oportuit conſenſibus roborare. (1) ut iam ſi recte reſpicias, nihil firmum, nihil durabile poſſis cum Eccleſia Sancta componere; quum omnia poſſit Apoſtolatus auctoritas irritare. Aliam crede mihi viam invenire oportet, ut ſancte & tute, quam quaeris ſecu- ſi

(1) Animadvertas velim Colucium heic Romanis Pontificibus concedere poteſtatem rumpendi faedera &c. licet laudare non videatur quod ea poteſtate frequentius uti ſolerent. Boſs. in defenſione declarationis Cleri Gallicani part. 2. lib. 4. cap. 2. nonnullos recenſet auctores, qui ſummum Pontificem omnino diſpoticam, ac directam iure divino tum in Eccleſiaſticis, tum in Politicis rebus habere poteſtatem ex fide tenendum eſſe cenſuerunt: quae tamen ſententia a ſacris litteris, & ab ipſis Romanis Pontificibus improbatur. Quod Romano Pontifici competit, eſt indirecta, ut aiunt, in temporalia Principum poteſtas; quod Sacrarum Litterarum & S. Patrum teſtimoniis, exemplis, & rationibus probari poteſt, unde & Clerus Gallicanus idipſum quondam probavit, ut videre eſt apud Gramondum lib. 1. Hiſt. ad an. 1615. & Sorbona ut conſtat ex epiſt. quam Peranda an. 1592. die 16. April. dedit ad Patriarcham, & Legatum Caietanum.

ritatem valeas exhibere. Quid obſecro contra Eccleſiam Florentini fecere? Qui anno praeterito, in ſumma annonae caritate toties habitis Apoſtolicis litteris, numquam potuerunt frumenta Eccleſiae finibus obtinere (1). Caeſareum oraculum eſt, illum necare velle, qui denegat alimenta. Oh crudelis immanitas, & immanis crudelitas! Uni & devotiſſimo & Chriſtianiſſimo Populo ad victum neceſſaria & conceſſa per gratiam non praebere; & exteris ac peregrinis nationibus palam ac publice miniſtrare. Quid enim? Debuit ne Paſtorum Eccleſiae concepta nequitia, gentes a ſuis liberare ſtipendiis, ſeu ut veroſimilius eſt ad ſervitia ſua militantes, in exitium Florentinorum, atque Thuſcorum col-

(1) Ann. 1375. ſumma annonae caritate laboravit Florentina Reſpub., de qua ſic Amm. in Hiſt. Flor. tom. 3. Pag. 692. *Nell'an. 1375. eſſendo Gonfaloniere di Giuſtizia Iacopo Paceri, attendeva detto Paceri a provvedere ſe in alcun modo ſi poteva aver del grano: ma Guglielmo di Novelletto Cardinale di S. Agnolo, il quale era ſucceduto nel governo di Bologna al Cardinale di Burgi, ancorchè le terre della Chieſa ne aveſſero dovizia, ed egli ne foſſe grandemente ſupplicato da' Fiorentini non volle concedere mai loro, che ne poteſſero trarre quantità alcuna, anzi avendo la Repubblica ottenute lettere dal Papa, perchè il Cardinale concedeſſe la tratta, e queſte lettere preſentategliele non le volle pur leggere, o che ſegretamente come fu ſtimato da alcuni aveſſe avute prima lettere dal Papa in Contrario, o che ciò faceſſe egli di ſuo arbitrio per cattivo animo, che aveſſe verſo la Repubblica.*

colligatorum ſuorum, tam manifeſte transferre? Quae quum nullis invitantibus cauſis, niſi hoc ſolo, quod noluerunt bellum Mediolanenſibus Dominis, per Eccleſiam forte minus iuſte, vel ſaltem non neceſſarie illatum, agnoſcere, tam patenter, & hoſtiliter machinata fuerint; quid facient obſecro hi barbari, quos Italiae praefecit Eccleſia, ſi offendendi dabitur opportunitas, vel occaſio? poſtquam inimicitiarum iam furor excanduit. Nec iam quod in argumentum adducis impotentiae, diſcordiam Florentinorum obicias; putas, ut arbitror, te vera proferre. Ego autem, qui quotidie ſecretis intervenio Conſilii, ſummam concordiam deprehendi. Et crede mihi, quum de libertate luctentur omnes ceſſabunt civiles altercationes, & videbis hunc innumerabilem populum, corpus unum, conferre ſubſtantias in expenſis, & animas in periculis obiectare. Decipientur crede mihi qui ſpem in diſcordia noſtra ponant; & quanto veniet res periculo propior, tanto magis in unum animum Florentinus populus invenietur. Non putes, quod quam libertatem ſinguli quaerant, illam univerſe perditum eant. Quid ergo fiet? Quod conſilium iniemus? Hoc ego nec acumine mentis intueor, nec aliquem niſi divinando, puto poſſe praedicere. Oculatiſſimi Cives ſunt, & qui longe ventura coniiciunt; nec ſum animi dubius, ipſos hoc negotium, quamquam oblatrantium multitudo circumſtrepat, feliciter concluſuros. Tibi tamen & conſiliis tuis Patriae nomine grates ago. Scio quidem te animi ſinceritate motum,

tum, quae ſcripſeris, cógitaſſe. Et ego quae ſcripſi conferendi cauſa feci: Ut videas quae tu tam urgenter, & tam tenaciter perſuades, quum volueris in contrarium diſputare, non ſicut opinaris celeriter ampleſtenda, ſed alio forſan fore conſilium deflectendum. Vale feliciter vir optime, & me tamquam filio tuo ad placitum potiaris. Data Florentiae, Nonis Novembris. (1)

III.

INSIGNIS FACUNDIAE VIRO MAGISTRO BENVENUTO DE IMOLA (2) AMICO CARISSIMO ET OPTIMO.

NOn ſiccas, non intermiſſas, ſed adhuc fluentes & continuatas lacrimas hauſit Epiſtola tua, quae a fine literulae quam tibi iamdiu deſtinavi ſumens auſpicium, migrationem illius luminoſi ſideris, Petrarchae (3) ſcilicet, elegantiſſime deplorabat. Conti-

(1) Haec Epiſtola ſcripta eſt anno MCCCLXXVI.

(2) Benvenutus de Rambaldis: hic libellum ſcripſit, qui dicitur Auguſtalis de vitis Caeſarum, impreſſus eſt Argentinae an. 1505. Scripſit & commentaria in divinam Dantis comoediam quorum quatuor exſtant manuſcripti codices in Bibl. Mediceo-Laurentiana, & ann. 1477. in lucem edita ſunt.

(3) Franciſcus Petrarcha viam univerſae carnis ingreſſus eſt die XVIII. Menſis Iulii An. 1374.

tinuaſtas lacrimas inquam: quis enim tantum mundo iubar extinctum adſpiciens, poſſit lacrimis modum imponere? Quamvis autem ille pro nominis gloria, proque iam exactae vitae praeconiis, proque virtutum & rerum geſtarum meritis lugendum non ſit, ſine illius divini ſpiritus invidia dictum velim, pro nobis tamen omnibus, qui per Parnaſi montis iuga ſuſpirantes tota mente illius ſacra ſtudia mirabamur, pro nobis, inquam, aeterne flendum cenſeo, quos per omnis futurae aetatis noſtrae momenta, ille ad ſuum Opificem rediens, tam acerbe reliquit. Et licet prudentium oraculis iubeamur in talibus non moveri; Ego autem, ut verum fatear, adeo illius fato commotus ſum, ut noctes, atque dies mihi luctuoſa atque amara fuerit recordatio ſua. Et quamquam Lelius ille Ciceronianus invidi velit eſſe, felicitatem amici deflere; ego tamen non invidiae, ſed ut arbitror coeco mentis errore, Petrarchae hanc cum morte beatitudinem, & graviter, & luctuoſe tuli. Mihi deficere videbatur amicorum, & dilectorum, quorum ille pars animae maxima fuit, frequens iucundumque ſolatium; cuiuſque etiam me ipſum non fore participem anxia moeſtitia fuit mihi; quum tamen me, poſt paululum tempuſculi, quo mihi vivendum reſtat, (quod quantumcumque protrahatur, longum non erit; quid enim mortalibus longum dici poteſt?) quum me inquam illi iungendum cogito, ita mehercle delector, ut non ſolum ſibi invideam, quod periit, arbitror tamen illum pro ſuis cultori-

ribus, pia oratione, & facundo illo pectore, apud omnificum illum Parentem, efficaciter interceſſurum; quo ſibi facilius, & forſan citius coniungamur. Oh quanti erit illo in Deo frui, nectareique eloquii ſui dulcedine iucundari? Et plures noſtri temporis rerum ſuarum ſtudioſos ſimul cum illo, illo infinito Bono perfrui. Quod ut fiat operum meritis adnitendum eſt; & incitandus totis viribus favor divinus, ut cum ipſo incolatum aeternae Patriae mereamur. Interim autem opuſculis divinis quae ille coeleſti fabrefecit ingenio, delectemur, de hoc tecum anxius ſum. Video enim rerum ſuarum miniſtros, neſcio qua mentis caecitate pluribus libellis, quos ille forſan incompletos reliquerat imitari; & qui moribus noſtris, flammis regalibus mortale Corpus habebit immune, non parva ex parte, qua mundo victurus erat ardebit, niſi melioris mentis auxilio ſuffragetur. Crediderim profecto, quod ille diſcedens, ſic ſecum recti iudicii reportavit acumina, quod iſtos ſuos domeſticos, ſuos tam amentes, tamque inopes conſilii dereliquit; quod ſicuti Deianira Herculi procurans amoris infandos ignes exſtinguere, illum fatali conſumpſit incendio; ſic iſti dum famae noſtri Petrarchae quaeritabunt conſulere, famam exſtinguent. Forte etiam illi ſub curioſitatis velamine, ut tanti credantur, quod rerum tam divini vatis digni fuerint correctores, infandos mente concepere furores, & per iſtius noſtri Franciſci tenebras claritudinem quaerent. Sed caveant, ne tam immani flagitio famae ſibi

lon-

longaevitatem exoptent. Fallentur opinor, & non minus hoc quamvis praeclaro facinore nomen eorum ſubtrahetur poſteris, quomodo ex publico Graeciae conſulto, eius qui templum illud inſigne flammis corrupit. Agant denique quidquid libet, ille celeberrimus, ut arbitror, tranſibit in poſteros, & mille operum ſuorum luminibus perpetuo relucebit. Indignor tamen Affricae (1) fatale ut dicitur incendium immi-

(1) Poema nempe illud, cui Africae nomen dedit, & quo belli Punici ſecundi hiſtoriam verſibus complexus eſt. Quod quidem opus tunc temporis prodigium viſum eſt, & adeo per Galliam, & Italiam auctoris nomen exaltavit, ut omnes ſummae erga illum exiſtimationis, ac venerationis ſigna demonſtrare conarentur; & tunc fuit cum ipſo eodemque die a Romano Senatu, & a Pariſienſi Univerſitate laurea corona Petrarchae oblata eſt, & ab eo Romana Pariſienſi praepoſita. Huius igitur operis elucubrandi occaſionem ſumpſit Petrarcha, (ut optime in Praefatione ad Lectorem coniciunt editores Silii Italici de bello Punico, editi Traiecti ad Rhenum an. 1717.) ex eo, quod ea tempeſtate conſtanti fama eiuſdem Silii de Bello Punico poema periiſſe credebatur; quod poſtea per Poggium Florentinum tempore Concilii Conſtantienſis, quod habitum eſt an. 1415. & ſequent. Ioanne XXIV. & Martino V. Romanis Pontificibus, in Monaſterio S. Galli prope Conſtantiam in *teterrimo* (ut ipſius Poggii verbis utar in epiſtola ad Guarinum Veronenſem) *quodam & obſcuro carcere, fundo ſcilicet unius turris*, inventum eſt. Hoc itaque Petrarchae Poema Patavii, ut ex hac epiſtola eruere quiſque poteſt,

imminere; ſed vincet ſpero fortuna Scipionis, cuius virtutes revocari caelum volet. Et quo te laetiorem faciam, Franciſcolus (1) illam ſub certis conditionibus ſe ad Boccatium noſtrum tranſmiſſurum litteris ſuis pollicitus eſt. Qui ſcri-

teſt, nonnulli corrigere, atque in lucem edere cogitabant & de hac, quam curabant correctione lamentatur *Colucius*, & iure profecto lamentatur, huiuſmodi enim correctores utplurimum operum ſaevi ſunt deturpatores. Qua propter huiuſmodi hominum ſaevitiam timens *Vergilius*, Aeneidos Poema, quod, ut ipſe putabat, nondum perfectum, & expolitum relinquebat, cum cremare nequiverit, *Tuccae*, & *Vario* teſtamento legavit, eo tamen pacto, ne quid immutarent. Quod in aliquo opere ab Auctore mortua, atque adeo etiam viva, ſed aliena lingua elaborato, ſi Diplomata excipias, immutari, & corrigi poteſt, Ortographia eſt. Idque contra *Laurentium Mebus*, qui hactenus nugis, ineptiiſque more ſuo, contrarium probare conatus eſt, validiſſimis rationibus demonſtrari poſſet. Sed actum agerem, quum doctiſſimi Ephemeridum litterariarum Florentinarum ſcriptores huic rei ſatisfecerint num. 52. an. 1741. & num. 1. & 4. 1742. & alibi

(1) Hic, ni fallor, eſt *Franciſcus*, ſeu *Franciſcolus* de *Broſſano* Mediolanenſis, Petrarchae gener, qui ab eodem Petrarcha haeres effectus eſt, uti ex eius teſtamento adparet, atque ex ſequenti inſcriptione, quam illius ſepulcro idem Franciſcolus ponere curavit. *Viro inſigni F. P. Laureato Franciſcolus de Broſſano Mediolanenſis gener individua converſatione, amore, propinquitate, & ſucceſſione memoria.*

ſcripſerit quaſvis leges; ſi ille in iura noſtra pervenerit manus iniiciam, & perpetuam reddere conabor divinam Scipiadem. Sed ut ad Franciſcum noſtrum redeam, opuſculum metricum de ipſius funere iam incoepi, (1) ad cuius ornatum, ſi quem Lactantii ſenſum, aut alterius auctoris Fulgentio, & Martiniano exceptis, de Muſis habes, rogo tranſmittas. Nitor enim altius de illo loqui quam poſſim, in quo ſi me adiuves, gratiſſimum mihi feceris. Ceterum, quod poſt Paſcha te Patavium iturum ſcribis, laetanter accepi; ut tua veneranda praeſentia illam Petrarchae Scholam a conceptis incendiis potenter deterreas. Vale mei memor. Florentiae; Octavo Kalendas Aprilis.

(1) Hoc opuſculum illud eſſe arbitror, quod de morte Petrarchae ad Antonium Phyſicum de Faventia ſcripſit.

IV.

PRAEFECTO. (1)

ILluſtris & Magnifice Domine, Frater Cariſſime. Mirabitur veſtra Fraternitas, quod poſt diſceſſum noſtrarum gentium, nullas forſan a nobis litteras recepiſtis. Miramur etiam & nos, quod nihil poſt tanta dierum ſpatia nobis duxeritis reſcribendum. Rumpentes itaque taliter incepta ſilentia, vobis domeſtice conferemus. Et primo non videmus unde, vobis potuerit, quibusve cauſſis perſuaderi, quod ſine nobis & aliis Colligatis quantumcumque temporaneam concordiam in medio belli fervore, cum Eccleſia faceretis. Nonne contra fidem datam fuit, huiuſmodi concordiam ſic fregiſſe? Poteſtis ne conqueri quod vobis umquam defecerimus in promiſſis? Nonne dum per vos huiuſmodi induciae tractabantur apud vos quadringentae lanceae de noſtris gentibus militabant? Et utinam; ſic ut oportuit; inapto tempore caſtrametandi ſimul ipſas gentes in exterminium hoſtium congre-

(1) Scripta eſt haec Epiſtola *Praefecto de Vico* cuius meminimus Ep. XXIII. & XXX. Tom. III. primae partis. Hic licet Viterbienſes contra Pontificem in rebellionem ſubſcitaſſet poſt defectionem Rodulphi Camerinenſis in amicorum fide haeſitare videbatur, & pacem cum Eccleſia tractare vulgo dicebatur.

gregatas extra terrarum moenia poſuiſſetis · Incuſſus quidem fuiſſet hoſtibus timor, & in ligae honorem ac exaltationem veſtri ſtatus negocia proceſſiſſent. Nunc autem audivimus vos ad maioris concordiae, & forte, ſicut dicitur, plenae pacis tractatum cum Eccleſia proceſſiſſe. In quo, conſiderata veſtra prudentia, plurimum admiramur. Habebit ne umquam Excellentia veſtra fidem in ſacris & ſanctis, quas toties experti eſtis, promiſſionibus (1) Clericorum? Eſtne prudens tutumque conſilium ut in hoc omittamus, quae ante omnia dici debuit, honeſtatem, relinquere ſocios, quorum potentia vos ad tantum magnitudinis ſtatum evexit, & antiquiſſimis hoſtibus inhaerere? Nolite ſicut faciunt multi mortalium in diem vivere. Nolite ſolum, quae ante oculos ſita ſunt, & quae manu tangitis, ponderare. Credidit perfidus filius (2) Dominus Rodulphus de Camerino, non relinquens ſolum, ſed offendens Ligam, ſui ſtatus columen fundaviſſe. Sed Deus ſcelerum ultor, quique fidefragos a tergo proſequitur, totum illud conſilium in ſui capitis convertit excidium; & iam

(1) Superius etiam in altera Epiſtolarum parte *Colucius* Clericos obiurgaverat, quaſi fidem ſervare, & verbis ſtare minime conſueverint; ſed perperam, & per iniuriam.

(2) Nam a Florentinis aliiſque ſociis defecerat, & Pontificii exercitus ductor factus, a Comite Lucio in Marchia fractus, vix a foederatorum manibus incolumis evaſerat; intra Tolentini moenia ſe recipiens. Vide Ep. LXIV. primae Partis Ep. *Colucii* pag. 153.

iam bis fractus campeſtri pugna in gentium noſtrarum manibus, cum manifeſta ſui ſtatus praecipitatione, remanſit. Non eſt tutum, non eſt utile, non circumſpectum, cauſſam & iure & potentia meliorem inconſulte relinquere, & ſub ſpe reconciliationis, quam hoſtis, tempori cedendo, conſenſerit, in inimicorum gremium declinare; praecipue cum inimico, quem tanto privaveris dominatu, cuique non conſuevit ſufficere iuſte & humaniter dominari, niſi ſe in Tyrannidem efferat, & convertat. Quo circa illuſtrem veſtram magnificentiam cordialiter deprecamur, quatenus amore noſtri pro conſervatione veſtri ſtatus dignemini haec extra corpus Ligae colloquia, prima fronte pacifica, exitu vero venefica & amara reſcindere, & ut ſperamus in fidei obſervantia perdurare. Quod quum facere decreveritis, nos promptos offerimus & paratos, quaecumque convenimus, & etiam ampliora effectualiter obſervare. Datum Florentiae die VII. Novembris MCCCLXXXVII.

IN-

V.

INSIGNIS FACUNDIAE VIRO MAGISTRO BENVENUTO. (1)

VIr optime. Ne tacitus arguar, tuis facundiſſimis litteris qualecumque reſponſum ingrate negare, quamvis reſpondendi vinculo voluiſſe videar, longa contumacia praeſcribere, licet inſtent infinitae Reipublicae curae, quibus ne poſſim, amicis, ut hactenus, in ſcribendo ſatisfacere, nimis efficaciter prohibeor: hac tamen litterula debitum ſolvam, qua me tui oblitum non eſſe cognoſces; & quantum licet amicitiae militaturum advertes. Et ab eo quod tua auſpicatur Epiſtola incipiam. Verebar quorſum illorum Iudicum forent evaſura conſilia, quos videbam in editione Affricae titubare, & adhuc non ſum omni timore vacuus, quin dubitem ipſos, ſacrilelegas manus in ſacrum opus illud, ut aliquid ſubtrahant, inieciſſe, & corrigendi ſtudio corrupturos. Scio enim te non ignorare Poetarum

(1) Haec epiſtola ſcripta eſt eidem Benvenuto de Rambaldis, de quo ſuperius epiſt. III. verum adnotandum hic eſt, quod Etruſca Commentaria in Dantem, quae an. 1477. prodiiſſe diximus, illius opus non ſunt, ſed excerpta ex eius latinis commentariis, quorum quatuor adſervari Manuſcriptos Codices in Bibl. Mediceo-Laurentiana adnotavimus.

rum quam altiſſimi ſenſus ſint; & ſiquis unquam Muſarum Sacra coluit, qui abdito de fonte Pegaſeo biberit, hic noſter Petrarcha, non ſemipaganus labra fonte proluit Caballino, ſed Panigeros de peritiſſimo lacu, quidquid humanum pertingere poteſt ingenium, hauſit. Nec dubito, quod ſiquem tanta amentia invaſerit, ut audeat opera ſacra ſua lacerando corrigere; quamquam forte ſibi videatur corticem laevigaſſe, omnium conſenſu, ſenſus pervertet, & comptum ordinem comarum calamiſtro inuret; ſed faciant quidquid eorum cordibus ſederit, ſive integram ſive laceram Affricam promant, quod facturi ſunt, cito abſolvant, & nos hac ſpe, & metu liberent. Tanta enim me illius libri, & ſervandi, & videndi cupido ſuccendit, quod ipſum niſi quum extra manus iudicum ſenſero, non abſque formidine ſum futurus. Sed quidquid conſulant, ſpero quod vincet fortuna Scipionis, & quae ipſum in mari hoſtilis claſſis frequentiſſime parvo navigio tutum ad barbaros fines vexit, hoſpitioque vario, & ancipiti, ſanctum & inviolabilem fecit, hoſtique Paeno, & Numidico parem, immo ſuperiorem reddidit, hoc denique ſuae gloriae munus adiiciet, ut laudum ſuarum liber ille feraciſſimus, inſidias aemulorum evadet, & clarior, ut optamus, emerget; de quo ſiquid habes, laetum me participem facito. Haec hactenus. Nunc autem credo tibi fama divulgante innotuiſſe, mihi ad labores, quibus eram adſcriptus, & honorem, & onus Florentini Cancellariatus acceſſiſſe, cui utinam me ſaltem non nimis indignum reddam.

Illum

Illum enim ſupra vires meas, quarum parvitatem debilitatemque cognoſco, longiſſime ſentio: ſed hoc quantumcumque ardutim, & inacceſſibile, fervore laetae mentis amplectar, & ei, quam potero, me conabor reddere digniorem. Vale felix, & petita de Agellio cum praeſentibus accipe, ut tamen, quod audivi, & credo, non ignores. Totus Agellius Bononiae eſt apud haeredes Domini Ioannis Caldarini. (1) Inde quaerito ut videas, & ſcias, an mihi fuerint vera ſuggeſta, &, quantus eſt ille liber, reſcribito. Data Florentiae undecimo Kalendas Iunii.

EGRE-

(1) Colucii tempore ex nobiliſſima Caldarariorum, deinde Caldarinorum Familia; duo floruerant Ioannes magni nominis viri: primus, Ioannes Andreae, alter vero Ioannes Robanduzzi dictus, quia primo in filium eſt adoptatus. Hic inter caetera munera legatum egit ad Papam Urbanum V. cui etiam a Conſiliis fuit; obiit an. 1365. ſuperſtes vivit adhuc in ſcriptis ſuis.

VI.

EGREGIO VIRO FRANCISCO DE BROSSANO (1) FRATRI CARISSIMO, ET OPTIMO.

COgitabam Frater, & Amice Cariſſime, notitiam tuam carmine, quod inſtitui in honorem illius celeberrimi viri, quem fata, licet ad commune vitae humanae ſpatium in tempore ſuo, noſtrae tamen affectioni nimis propere rapuerunt, Petrarchae inquam cuius meritis, ni me fallat amor, aetas noſtra in poſteros famoſiſſima pertranſibit, acquirere; et longam de ipſius morte querelam, non ſine laudum ſuarum praeconio, ad te quam primum abſolverim deſtinare. Quod opuſculum quum longius progrediatur, quam ab initio putaverim, adhuc complere me vetat hoc glorioſum officium, cui me non mea virtus, quam vel nullam, vel perexiguam ſentio, ſed gratia civium benigne praefecit; quod quidem me tot occupationibus circumſepit, ut ne dum verſibus, ſed nec etiam legendi tempuſculum permittatur: Spes tamen erat, & eſt, illud furatis athomis expedire, quod quum perfecero, iuxta deſtinatum tranſmittam, in quo ſaltem patebit tibi, quanta mentis affectione iungebar illi, quem ſcio te non minus quam parentem unice

(1) Idem Franciſcolus, quem ſuperius Petrarchae generum fuiſſe diximus.

unice dilexiſſe. Sed ut ad incoeptum redeam, putabam illo Carmine te in amicitiam noſtram allicere, id quod mihi futurum certiſſime promittebam; in quo fallebar, humanae conditionis oblitus. Quis eſt enim, qui in harum corruptibilium rerum contubernio, ſibi quidquam certum valeat deſpondere? Diſſipat veſper matutina conſilia, & vix ad horam conſtat quidquid humana fragilitas ordinavit. Fallebar enim, & dum Franciſcum fleo, dum ſuis laudibus, decantantes novo commento, veterum pene dimiſſa ſententia, depingo camoenas; ecce novae lacrimae nobis moerore novi funeris occurrerunt incoepti curſum operis reprimentes. Vigeſima quidem prima die Decembris, Boccatius noſter interiit, quem, ſuae mortalitatis immemor, poſt buſta Petrarchae ardentius amplectebar, & in illo moerore tanti vatis, quantum numquam futurum arbitror, vel quod ſaltem aſſeverare non vereor, quantum nulla umquam aetas tulit, quotidie conſolabar. Et quandocumque dabatur nobis confabulandi facultas, quod rariſſimum tamen erat, & propter occupationes meas, & propter molem, & aetatem, ruſticationemque Ioannis, nihil aliud quam de Franciſco conferebamus. In cuius laudationem adeo libenter ſermones uſurpabat, ut nihil avidius, nihilque copioſius enarraret. Et eo magis, quia tali orationis generi me proſpiciebat intentum. Sufficiebat enim nobis Petrarcha ſolus, & omni poſteritati ſufficiet in moralitate ſermonis, in eloquentiae ſoliditate, atque dulcedine, in lepore proſarum, & in concin-

cinnitate metrorum; quod tam facunde, tamque ubertim diſſerebat, ut admodo poſt eius interitum, qui hoc munus explicare queat, aut a quo diſci poſſit, nemo remanſerit. Me miſerum, qui aſpirante Divina gratia adeo fructifero & honorabili fungebar officio, ut nihil quod ad humanam felicitatem adtinet deficere videatur, quum nondum in occupationibus publicis, quae mihi tanta gloria contigerunt, biennii tempus exegerim, mihi primus annus Franciſci fatalitate, ſecundus autem Boccatii morte funeſtus acceſſit; ut facile poſſim deprehendere, quam veriſſimum ſit illud Severini dictum, quantis amaritudinibus humanae proſperitatis dulcedo reſperſa eſt. Heu mihi iucundiſſime mi Boccati, qui ſolus colendus, amandus, & admirandus mihi remanſeras, conſilium in dubiis & ſolatium in adverſis, laetitia proſperitatis, & ſocius in humanis, quo me vertam tuae mortis dolore turbatus? Publicam ne calamitatem, an privata incommoda proſequar? O Muſae, o laurus, o ſacrae fata Poeſis! Libet enim exclamare verſiculo, quem funereo operi ad honorem Petrarchae inſitum dictavi. Et vere Muſas atque Poeſim, & ſacras laurus Boccatii noſtri fletus tangit. Heu mihi quis admodo paſcua cantabit, quae ſexdecim Eclogis adeo eleganter celebravit, ut facile poſſumus eas, non audeo dicere Bucolicis noſtri Franciſci, ſed veterum aequare laboribus vel praeferre? Quis integumenta poetica, in quibus latere ſolent, aut ſecreta naturae, aut moralium addita documenta, aut hiſtoriarum veri-

veritas incorrupta de caetero nobis evolvet? Hoc tam affatim, tamque emendatiſſime abſolvit in libro de Genealogia Deorum, quem multo labore, & ſtylo prorſus divino compoſuit, ut omnes etiam priſcos viros huius rei indagine ſuperarit. Quod opus, ſi videris, non dubito te laetaturum ire noſtrae aetati, noſtriſque temporibus gratulantem, quam tam praeclaro labore Ioannis, & utilem, & mirandam poſteris videris tranſituram. Quis admodo caſus, ac fortunae vortices, quibus illuſtres viri iactati ſunt, deinceps, ſicut ille, ſtylo luculento deſcribet? Quis obſcuriſſimum ac difficillimum opus, claras mulieres de immenſo hiſtoriarum pelago, ſicut ille fecit, excerptas, in unius voluminis ſeriem numerabit? Quis vos orbis totius ornamenta, montes, ſilvas, fontes, lacus, ſtagna, flumina, & maria, mundum, mira tum varietate, tum utilitate inſignita, quae ille nobis copioſe, ornato reliquit, in unum librum digeſta docebit? Heu mihi Ioannes mi dulciſſime, quo abiit divinum illud ingenium, & coeleſtis omnino facundia, quibus Patria tua, velut inheſauſto iubare reſplendeat? Heu mihi, qualis nobis, & ceteris, qui avide te colebant, poſtquam es tam infauſte ſubtractus, eſt ſtatus vitae futurus? Unde nobis dubitantibus, dabitur de Poetarum inſolubilibus, de hiſtoriarum ambiguitate, & de veterum laborum caligine declarari? Heu mihi inclita Florentia, quae nuper aemula coeli duobus luminibus, qualia modernis obiicere non poteſt antiquitas, relucebas? Poſtquam eclypſis aeterna illud decus

extinxit, altis merſa tenebris, talibus filiis orbata lugebis. Flete mecum Muſae, flete paſcua, ſylvae, montes, & quaecumque ex montibus derivantur. Et tu demum Florentia, ac tota Italia, & omnis praeſens aetas mecum oculis lacrimoſis effluite. Omne quidem temporis decus, quod circa Petrarcham effloruit citra Ioannem emarcuit. Iam flebili ſtylo perveni, quo minime decuit, & meae mortalitatis oblitus, quo nihil dici poteſt ſtultius, mortalem obiiſſe lamentor. Cur non melius in illo conſoler, quem ſpero piae vitae meritis non depulſum ad inferos, ſed ad ſuperos conſcendiſſe? Et quum natura nos morti producat obnoxios, quid poteſt iniquius aut levius cogitari, quam dolere amicum in tempore ſuo, & cum incomparabili lucro debitum perſolviſſe? Quid obſecro lucri Ioannes fecit excedens? Certe mortalitatis depoſita ſarcina, ſe in immortalitatis ſtatum, terrenis exutum illecebris, vindicavit. Quin etiam mors, quae cuncta ſolvere creditur apud mortales, optimam ſui partem ſuperata dimiſit, in quibus nihil illa ſaeviſſima iuris invenit. Exſtant enim diſertiſſimo ſtylo fabrefacta volumina, quae multa cum ſuae laudis & nominis duratione vigebunt, & cum totius aetatis noſtrae admiratione perpetua. Haec tecum, quem ſcio Boccatii noſtri praecipuum fuiſſe cultorem, lamentari volui, obteſtans, & rogans, quatenus, ſiqua tibi eſt reverentia Petrarchae, ſiquid umquam tibi amicum aut dulce quondam extitit cum Boccatio, & ſiquid tantorum virorum cineribus debes, ut me dum

vivo

vivo in locum Ioannis accipias. Ego tui non minus, quam ipſe amans ſiam. Et quoniam ſcio te divinam Africam feciſſe tranſcribi, ut illam ad Ioannem Boccatium deſtinares, cuius ipſe promiſerat me futurum eſſe participem, quamvis id grande ſit, nec tanti me faciam, aut tali me digner honore, ut ille ait, peto tamen, ut illam receptis pecuniis, quas ſcriptor, & chartae voluerunt, mihi tranſmittas, & me tanto munere ornes, nec erit arbitror ingloriam famae, nominique Petrarchae, illam in patriam ſuam, & in manus meas venturam. Ceterum ſcribo Lombardo & carmina quae, me miſerum! iam exemplaveram ad Franciſcum tranſmittenda, quibus conabar illud ad editionem Scipiados incitare, ad eum mitto, ut qui adnitebar a vivo librum illum excudere, poſt fatum tu, & alii mihi non invideatis eumdem. Vale felix, mei amans, & memor; Florentiae, vigilia Natalis Domini.

VII.

INNOMINATO.

QUamquam, Comes Magnifice, ineptum, importunumque videatur, quod dudum ab aliis ſcriptum ſcio, tuis auribus refricare, quia tamen unicus nobilium viſus es, cum quo poſſit de migratione illius divini viri, Petrarchae ſcilicet, loqui, tum propter ſincerum amorem, quo te illum, dum viveret, accepimus coluiſſe, tum quia ſtudia cete-

rorum, qui veteri formoſaque proſapia glo-riantur, non ad litteras applicari; ſed aliis neſcio quibus rebus, ut ſaltem fugientes flagitioſa commemorem, bellicis aut venaticis inſudare videmus; & aut equitationibus, aut aucupiis delectari. Loquar & ego tecum, non ea facundia, non eo ornatu, qui tantum Virum, quantus es, deceat, nec materiae quam aggredior reſpondente, ſed pro facultate ſcribentis. Excuſabit me tamen caritas, qua in illum inſignis recordationis virum ardebam, quaque etiam te ipſum, ſi patiare, & hanc mihi veniam dederis, ſum culturus. Officii ſiquidem tam ferventer amantis non fuit, laudes tanti viri, quantas nullum in poſterum meriturum crediderim, aut ſaltem, quod certius adfirmari poteſt, nullum hactenus meminerim meruiſſe, uſquequaque ſilentio pertranſire, nec, quaſi truncum aut lapidem, in hac illius tranſvolatione, penitus non moveri. Non enim, ut Vir Ille Sanctus ait; Fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea. Motus ſum, fateor, qui viderim illud, nedum huius florentis urbis lucidum iubar, ſed totius Italiae, noſtraeque aetatis lumen extinctum. Et quamvis in tempore, ſuo videatur conceſſiſſe naturae, & mortalitatis noſtrae ſarcinam dimiſiſſe, potuit tamen nobiſcum eſſe diutius, & ſuo mellifluo ſermone, nos per annorum plura curricula permulcere, potuimus & nos illo fruiturum iri; iſtudque ſidus eloquentiae, omniumque virtutum domicilium ſuperni Numinis benignitate nobis indultum, potuit idem rerum omnium opifex ad occaſum tardius evocare.

Quan-

Quantum enim in illo erat, quum naturae ſatis vixiſſet, vixiſſetque ſatis & gloriae, nihil fuit, quo ulterius hoc aethere perfrui, interque mortales manere debuerit; ſed optaſſe, & una cum Doctore gentium dixiſſe; cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Quid enim illi potuit vel virtutis, vel gloriae multorum annorum cumulum addidiſſe? Aut quid virtuoſum, inter mortales inquam, rerum iſtarum corruptibilium ſocietate poteſt optari, quod ille iamdiu ſuis operibus omnium paſſionum faece purgatis, ſuiſque non ſit meritis aſſequutus? Quis enim Divinarum, humanarumque rerum edoctior? Quis in capiendis conſiliis; quis in evitandis periculis cautior? Quis praeteritorum, praecipue quae nobis maiorum cura litterarum monimentis agnoſcenda reliquit, copioſior? Quis in agendis ordinatior, aut fuit in praevidendis rerum eventibus perſpicacior? Taceam quanta fuerit ſibi in victu frugalitas, in veſtitu modeſtia, in ceteriſque moribus comitas; aut quantae fuerit in dando benignitatis, & frequens, in recipiendo parcitatis, & rarus; quantuſque harum rerum, quibus vita mortalium implicatur, contemptor, & parvipenſor. (1) Quantus fuerit, proh

(1) De Frugalitate, religione &c. Franciſci Petrarchae haec habentur in vita ab Alexandro Vellutello exarata: *Fu ne' ſuoi coſtumi diſpregiator delle ricchezze, non che le rifiutaſſe da chi dar glie le voleva, come in una ſua epiſtola afferma, avea ben in faſtidio le fatiche che in acquiſtarle ſi duravano, e l'affanno che s' aveva in conſervarle, acquiſtate che s' erano. Fu di poco, e comune cibo*

proh Superum fidem! adverſorum, quibus humanae conditionis fragilitas laceſſitur aequanimus ſupportator, & arridentis fortunae quam ſeverus irriſor. Illum ſiquidem nec adverſa fregere, nec mollivere felicia. Quantae autem fuerit Religionis in Superos, reverentiae circa Maiores, aequabilitatis in pares, & benignitatis erga minores, non facile dixerim. Quid memorem quantae fuerit in Fide conſtantiae, in Spe certitudinis, & in Caritate fervoris? Haec omnia ſupra quam credibile ſit, & omnino tantus Homo habuit. I nunc, & quemvis vel viventium, vel extinctorum compara. Quem dabis non dicam maiorem in omnium ſtatu virtutum, ſed parem? De litteratis autem ſtudiis quid referam? In quibus omnium conſenſu tam mirabiliter emicuit, ut nullum omnino veterum virorum, quibus antiquitas fuit hoc noſtro tempore aliquanto feracior, & quibus, quaſi ſideribus ornata proluxit, poſſis opponere, quem non videatur Franciſcus noſter facile ſuperare. Ut enim ſileam de liberalibus artibus, in quibus quantum valuerit, fas eſt ex ſcriptis eius adſpicere; Deus optime, in Philoſophia, quae quidem donum divinum, om-

bo contento. Ebbe in odio i ſuperflui, e gran conviti, ed ogni diſordinato mangiare . . . Uſava acqua aſſai nel bere, e volentieri mangiava frutti. Avea in coſtume di digiunare tre giorni della ſettimana, e il Sabato ſempre in pane, ed acqua ſolamente, ſi levava ſempre a mezza notte a laudare Iddio prima, e poi .:. De his fuſius Ludovicus Beccatellius in eiuſdem Petrarchae vita.

omnium moderatrix noſcitur eſſe virtutum, & ut Ciceroniano utar vocabulo, expulſtrix vitiorum omnium, ſcientiarum, & artium imperatrix, atque magiſtra, quantum exceſſit? Non dico in hac, quam moderni ſophiſtae ventoſa iactatione inani, & impudente garrulitate mirantur in ſcholis; ſed in ea, quae animos excolit, virtutes aedificat, vitiorum ſordes abluit, rerumque omnium, omiſſis diſputationum ambagibus, veritatem elucidat. Gaudeant ſiquidem illa priori, quos indiſſolubilia, ut aiunt, argumenta multo conflata labore reperire delectat, quos ſcholaſticae paleſtrae gloria movet. Hanc autem poſteriorem nos mente veneremur, & totis animi viribus amplectamur. In hac inquam, revolve carmina, conſidera epiſtolas, meditare libellos, quos divini prorſus ingenii Vir ille vivens emiſit; & quantum in illa profecerit abunde videbis. Illam autem omnium ſcientiarum antiſtitem, & ut ita loquar Philoſophiae Philoſophiam, quae divinitatis arcana rimatur, quamquam omnium ſcibilium apicem videatur excedere, quam capaci mente biberit, quamque perſpicuo conceperit intellectu, ceu poteſt ſuis libratis opuſculis coniectari, non facile poſſum exprimere. Sed omittamus iſta, & eloquentiam, ſi placet, ipſius contemplemur, qua, quantum in ceteris humanitus praevaluerit ſtudiis, manifeſte monſtravit: cuiuſque laudes in ultimis reſervavi, quod iudicio meo maxima quidem eſt. Quid enim maius, quam animorum motibus dominare, quo volueris audientem inflectere, & unde flecteris cum gratia & amore deducere? Hae, ni

fallor, eloquentiae vires ſunt; hic labor; huc omnis rhetorum vis potentiaque deſudat. Magnum eſt equidem tum verbis tum ſententiis exornare dictamen, maximum autem, immo & difficillimum eſt, quamvis ornata, quamviſque gravi oratione, auditorum animos incurvare. Haec omnia una perficit eloquentia; in quod, illud volo conſideres, quod quum hominum causſa, homo ſit genitus, & cuiuslibet hominis appetitui Deus perfecerit rationem, quae dux & moderatrix de ſumma mentis arce turbidos motus animi regularet; eidem inſuper eloquentiam indultam, quam quum nulli animalium ſuſceperit homo communem, ut haberet quis, quo proximi ſui ſopitam, ſeu depravatis moribus, ſeu craſſioris corporis onere rationem mutuae caritatis ignibus excitaret: & quantum in uno vel natura deficerent, vel conſuetudo turpis corrupiſſet, eloquentia proximi aedificaret, & redderet. Quae quum ita ſint, quis negare poſſit in ſummi hominis laude fore copiam ornatumque dicendi? In hac igitur facultate quantum valuerit hic noſter mirandus aeternae famae Petrarcha; quamquam perſpicuum ſit, tamen, ut uberius laudes eius exprimam, evagabor. Tu tamen Epiſtolae longitudinem non horreſcas. Quamvis igitur, quoquo verteris, eadem ſit eloquendi, quam dicimus, iſta facultas, duplici tamen, ut arbitror, ratione tractatur. Aut enim laxis habenis exundat proſaica melodia, aut metrorum continuis anguſtiis coarctatur. Prior illa quae liberius incedit, tum in contentionem, tum in ſermocinationem dividitur, ut, aut per controverſiarum diſceptatio-

tiones anxias explicetur, aut omni contradictione ſemota, quieto quodam diſputandi genere pertractetur. Horum itaque tanta differentia eſt, ut, teſte Cicerone, in utroque, etiam apud Grecos, penes quos omnium ſtudiorum gloria floruit, ſolus videatur Demetrius Phaleteus claruiſſe, quum tamen, licet dulcis parum, potens adſeratur Orator. In his itaque eloquentiae partibus, quanta fuerit maieſtatè, ornatuque, vehementia, clariſſime oſtendunt millia epiſtolarum ſuarum, in quibus utroque ſtylo, pro temporum opportunitate, uſus eſt. Demonſtrant & libelli ſui plurimi, ut aliquot recenſeam, invectivarum in Medicum, quas, qui diligenter inſpexerit, pace Arpinatis noſtri dictum velim, illius Verrinas, Philippicaſque excedere, ac ipſas etiam ſuperare facile conſenſerit Catilinas. Liber praeterea de vita ſolitaria, & ſacrum opus ſuum de remediis ad utramque fortunam, libelluſque de ignorantia ſui, & multorum libellus fragmentorum, quos omnes complevit & edidit; & opus de viris illuſtribus, quem compoſitum ab eodem quum noverim, an publicaverit ſum incertus. O Magnanime Comes, ſi detur omnes hos in manus noſtras convertere, ſi detur illorum lectione paſci, crede mihi, quamvis in oratoria vehementia quis aequalem contenderet Ciceronem, ornatu tamen verborum, & gravitate ſententiarum, ſeu forum obſtrepat, ſive in conclavi loquatur, & ſcribat, proculdubio illum Romani eloquii parentem, ab hoc noſtro dixerit ſuperatum. In alia autem eloquentiae forma, quae pedum menſura, atque carminibus adſtricta progredi-

tur, quantum valuerit eius divina Buccolica docet, & Africae ſama probat, & multa ab eo edita verſibus adteſtantur. His unum adiecerim, quod antiquorum, quorum operas admiramur, & colimus, admodum pauciſſimi & proſis & carminibus valuere. Ipſe namque fons eloquentiae Cicero, quum tantae fuerit admirationis in ſoluto ſermone, defecit in verſibus. Lege librum de divinatione, vide quot ſimul verſiculos de Arato ſuo commemoret Tullius; credo, quod niſi Ciceronis eiuſdem adſtipularetur auctoritas, de eloquentiae illo ſummo Cardine, ita enim licet Arpinatem deſcribere, illos omnino negaveris prodiviſſe. Maronem vero accepimus apud iudices ſemel cauſam dixiſſe infeliciſſimo eventu, ex quo deterritus de Rhetoricis ad Poeticam ſe convertit; in qua quum cunctos graecorum & latinorum exceſſerit, mirum tamen eſt tanti viri nihil exſtare Proſaicum. Sed crede mihi, quod quantum valuit in carmine, ceſſit in ſoluto ſermone. Unde non immerito Franciſcum noſtrum, audacter licet utrique praeferre, cui tam glorioſe ſucceſſerit in utroque. Denique quum de litteratis ſtudiis Graeciae etiam tam florenti quondam Latium opponeretur, a ſummo ſui temporis viro, etiam Argolico Demoſtheni Graecorum Oratori potentiſſimo fuit Cicero comparatus, illudque etiam Homero, Heſiodo, atque Theocrito, qui apud Danaos in Poetica claruerunt, unum Maronem oppoſuit. Magna ſiquidem illius noſtri vatis laudatio, qui ſolus tribus Poeticae Principibus fuerit aequatus. Et quum inſolens Graecia ſe ante-

te-

reponeret in ceteris Latio, vel aequaret, in Ethicis impar, ſe vinci a Seneca fatebatur. Nos autem habemus, quem poſſimus, & antiquitati, & ipſi Graeciae, non dicam obiicere, ſed praeferre; unum hunc Franciſcum Petrarcham, cuius, ut arbitror, nomen, ulla umquam delebit oblivio, & quem natura produxiſſe videtur, ut quum nulli, ceu teſtatur Seneca, ſe tota eloquentia hactenus indulſiſſet, eſſet tamen unus aliquando, in quo per omnes nervos, eloquentia ſe monſtraret, hunc Petrarcham, inquam, & divino illo Maroni, & Graiorum vatibus, quos ille victor aemulatus eſt, opponere licet in carmine; Ciceroni atque Demoſtheni, in libera, metrorum & pedum regulis, oratione, ipſique Annaeo in moralibus anteferre. Taceo in hoc dicendi gymnaſio, quo alternatis, conſonantibuſque verſiculorum finibus materna lingua vulgarium auriculae demulcentur, in quo octo, ſexque carminibus, aut ſiquid paucioribus expediendum fuit, omnium conſenſu, & compatriotam ſuum Aldigerium Dantem Divinum prorſus Virum, & ceteros anteceſſit. Salve itaque ſumme vir, qui tibi famae aeternitatem, tum virtutibus, tum ſapientiae ſplendore, tum eloquentiae lumine quaeſiviſti; cui etiam ſe tota aequare non poteſt antiquitas. Aetas noſtra iubare tui nominis illuſtrata, admirabilis ni fallor pertranſibit in poſteros: famae quidem immortalitatem, ne dum tibi, ſed noſtris etiam temporibus peperiſti. Sed quid ego huius clariſſimi viri epiſtolaribus anguſtiis laudes divinas, commemoro, quas ſatius eſt ſilentio pertranſiſſe, quam

pa-

parum dixiſſe? Sed unde coepit, illuc, ſi placet, revertatur oratio. Non igitur doleam tantum nobis ſolem, & iubar celeberrimum occidiſſe? Fleat omnis aetas noſtra; fleat & Latium, & exundet lacrimis ipſa Florentia; fleant Muſae, flleat ipſa Rhetorica; fleat totum trivium atque quadrivium; fleat orbata Poeſis; lugeat hiſtoria; & denique quidquid egregium litteris commendatur, & omnes quos ſtudia iſta delectant, fleant, lamententur & doleant. Tuque ipſe, & ego, & ceteri, quos ille ſua benignitate, in amicos dignatus fuerat accipere, lugeamus. Heu mihi inſcia mens hominum fati; ut Maro noſter ait. Ego iam correctos verſiculos, quibus illum ad publicandam Affricam impellebam, pene reſcripſeram, ad ipſum, quam primum ſe obtuliſſet nuntius, tranſmiſſurus; & ecce fama nigerrima, tantae tamque flebilis nuntia mortis, auribus inſonavit; ex quo ſic imperfecta mea carmina remanſerunt; qualiter dubito ipſum ſuam Affricam dimiſiſſe. Heu mihi infauſtiſſime menſis Iuli, immo, ut verius loquar, Iuguli, in quo Numen Superum ſtatuit tantum Lumen mundo exſtingui! Si liceret, te de temporum ſupputatione detrhaerem, interque Cannarum, vel alios nefaſtos dies, damnatum luctu perpetuo relegarem. Heu mihi! Quem de Poematum aenigmatibus conſulemus? Quem de rerum arcanis interrogabimus? Quem de Rhetorum praeceptis adibimus? Quis auribus noſtris moralia ulterius inſtillabit? Quis Auctorum declarabit ambigua? Quis diſcrepantes concordabit hiſtorias: quem ſcribentem liberius;

quem

quemve canentem verſibus audiemus ? Heu mihi potuit iniqua exoculataque fortuna hunc nobis abripere ? Non puduit mortem illum praeclariſſimum Spiritum e corporea ſede protrudere ? Sed haec fruſtra iactamus. Illum ferreae mortis manus, & implacabile fatum nobis omnino ſubtraxit. Quid egiſti mors? Quum in tua iura veniemus, nos illo etiam, ſi volueris, potiemur. Meliori ſiquidem parte ſui vivit. Vivit enim divinum illud munus rationis particeps, quo corpuſculum, cui ſoli ſaeva fuiſti, vivificabat. In neutrum ulterius tibi ditio. Hoc in ſedem ſuam, illud ad ſuum remeavit auctorem: habuit etiam, o mors, de te dum viveret ille victoriam, te ſuperavit, ac triumphavit. Aliam quidem perpetuitatem, in quam nihil tibi iuris eſt, ipſe conflavit, famam ſcilicet & nomen aeternum; illum enim & praeſens & futura aetas laudibus excolet, & umbrarum triplex regio celebrabit. Solius tibi corporis victoria foeda luteaque remanſit. Noli gloriari o Mors, optimis enim partibus vivens, omnes tuas violentias & vires evaſit. Illos in triumphum deduc, quos de rerum harum corruptibilium illecebri ſocietate divellis, non accipis. Sed quorſum, obſecro, turbatus iratuſque proceſſi ? Ego mortalis mortalium mortem fleo, quo nihil ſtultius, nihil iniquius; ego amici gloria, & optimo munere doleo, quo nihil invidioſius; quamvis enim inexſtimabili me ſentiam damno mulctari, incommoda mea debui cum amici proſperitatibus compenſare. Tergamus itaque lacrimas, & iam in Franciſco noſtro conſolemur; bene ſiquidem,

dem, imo optime Deus cum illo egit, & ipſa natura. Quidquid enim ſuae mentis acumen, animique vigorem premebat, dimiſit excedens, & nunc liber ad ſua ſidera caelitus evocatus facie ad faciem, quo nihil iucundius, ſuum contemplatur Auctorem, & multiplicata eloquentia ſua, quantum diſtant a mortalibus immortalia, quantumque excellunt divina humanis, & ſuperna terrenis, laudes, & hymnos ad gloriam Omnifici Parentis excogitat, & componit, gyroſque illos aeternos felicibus admixtus Spiritibus laetanter miratur, & hanc noſtram, quam vitam credimus, nunc demum veram animae mortem agnoſcit. Nec tantum unam, ſed tot, quot rerum mortalium contagio committuntur, in Summae Maieſtatem Divinitatis offenſae, quotque bonorum votorum fit impotens humana conditio, quotque ignorantiae nubibus obducitur noſtri puritas intellectus, quotque nobis a virtutum acumine lubricationes & praecipitia ſunt parata; quae quum nunc vera notitia oculis immortalibus contineatur, & tunc quum in vita degebat, & quando extremae vitae laboraret articulo; ſcio ipſum validiſſimis ſibi rationibus ſuaſiſſe. Si enim Hermes Triſmegiſtus vir quidem gentilis hoc idem in ultimo vitae termino diſputavit; quid putare debemus de Petrarcha noſtro, non ſolum Philoſophicis imbuto documentis, ſed etiam Chriſtianitatis doctrina, & Fidei monitis illuſtrato? Hermes ſiquidem, quum iam eum vicinia mortis urgerent, coronam amicorum ſic fertur adſtantium adloquutus. Hactenus, inquit ille,

ca-

cariſſimi filii, relegatus apud vos manſi peregrinus, & exul, nunc vero per omnia reſtitutus incolumitate recepta migro revocatus in Patriam, in qua cuncti, qui eius meruerunt incolatum, & mortis, & corruptionis efficiuntur expertes. Iam mihi repleri videor ſuavitate mirifica, qui cogitem meo me convinctum Auctori, omnique mutabilitatis conditione fugata, inviolabilis perfectique boni fore participem. Cavetote itaque, ne quum hoc relicto corpuſculo meliori mei parte viſus fuerim de loco viventium evolaſſe, me quaſi mortuum lugeatis. Nunc enim vobiſcum una mortuus ſum, & tunc demum vitae reductus, vos apud Summum omnium rerum Opificem expectabo. Haec potuit ſola duce ratione vir paganus aſſerere, qui, pace ſua, & totius Graeciae dictum velim, huic noſtro non poteſt aequari, quamquam illi, pro admiratione virtutis, divinos Antiquitas conſecrarit honores. Nonne hoc longe clarius & diſputaſſe, & certius ſibi perſuaſiſſe Petrarcham noſtrum chriſtianiſſimum Hominem credendum eſt? Ut igitur aliquando epiſtolam claudam, ne ut ait Hieronymus ad Rufinum, Oreſtem ſcripſiſſe videar; in illo & eius felicitate laetemur, & gaudeamus aliquando de corporis ſui carcere liberatum, & nobis viventibus ultimum vitae ſuae terminum adſpexiſſe. Nunc enim vere poſſumus adfirmare, eumdem, quod difficillimum arbitror, ſuae famae decus uſque ad totius vitae tempora cuſtodiſſe. Tu autem Franciſce, ut tibi iuſta ſolvamus, & te antiquo, licet gentili verbo ſalutemus; aeternum

vale;

vale; quum natura vocaverit, nos itidem te ſequemur. Haec habui pro laude noſtri Petrarchae, quae ſcriberem, pro materia quidem pauca, ſed pro ſcientiae modulo ſatis longa, proque occupationum mearum cumulo multa nimis. In quo velim, Comes egregie, iſtius hominis vitam, mores, & famam ante oculos ponas, cuius memoria quamquam citiſſimo curſu ad virtutem anheles, ad urgendum propoſitum animeris; conſideraque hos, qui toto animo corruptibilibus rebus inhaerent, eſſe in corpore mortuos. Et poſtquam ex illo migraverint, totos, niſi Dei Miſericordia provideat, interiiſſe. Vale Felix. Florentiae decimo ſeptimo Kalendas Septembris.

* * * * * * * *

CO-

VIII.

COMITI LUTIO. (1)

MAgnifice miles & Comes egregie. Expectavimus litteras veſtras, ut reſpondendo de virili congreſſu per vos cum Britonibus (2) habito felici pugna & glorioſa victoria, vobiſcum pleniſſime laetaremur. Verum ne hoc ardens deſiderium diutius differamus, Vir bellicoſiſſime, audito, quoniam viriliter, atque audacter tranſmiſſo Fluvio, qui Potentia (3) dicitur, cuius undas callidus hoſtis auxerat, ut vix tranſeundus occurrentibus videretur, in illam Britonum feritatem, quae nullis ceſſura gentibus credebatur, inſtructis aciebus ipſis, & locum fortiſſimum

---

(1) Comes Lutius de Lando Germanus, Dux Germanorum. Vide prim. part. Epiſt. Col *pag.* 94. & 153.

(2) Quum a Gregorio Pontifice Spoletum Tudertum, Forum Livii, Aſculum, aliaque loca defeciſſent, quumque idem Pontifex omnia in dies magis Florentinis ſecunda eſſe videret, exitia veritus maiora, eos Britones magni nominis milites, qui vagi abſque ſtipendio in Gallia populabundi in armis erant, an. 1376. ineunte conduxit. Qui eorum fuerint Duces, vide *pag.* 57. prim. part. Col. Epiſt.

(3) Fluvius, ex Apennino Monte oriens, peneſque Septempedam urbem fluens.

ſimum tenentibus, irruiſtis, quantaque virtute omnes veſtrae copiae rem geſſerint, quantumque ferociter hoſtem ſuperbum de loco eminenti depulerint, quamque victorioſe per vos vires hoſtium ſint deletae, ſe tota noſtra civitas hilaravit. Oſtendiſtis enim, potentiſſime Vir, quanta in vobis foret audacia, quantumque caritatis affectum ad nos, & noſtrum ſtatum intriſecus haberetis. In hoc autem vobis & nomini veſtro gloriam inextinguibilem, & nobis ac toti Ligae ſtatum honorabiliſſimum peperiſtis. Eia igitur, vir magnifice, ſequimini incepta, multum quidem adhuc ſupereſt nominis & honoris. Nos autem poſt digna commendationum praeconia, debita gratiarum impendia referentes, vobis honorem, & ſtatum magnifici fratris noſtri Domini Bernabovis, noſtrumque, & totius Ligae intenſis adfectibus commendamus. Datum Florentiae die VIIII. Novembris prima indict. MCCCLXXVII.

DO-

IX.

DOMINO IOANNI HAUCUD. (1)

MAgnifice Miles, Amice cariſſime. A Spinello Theſaurario noſtri Comunis nuper accepimus, quod veſtra Brigata deliberat hac hieme in terris noſtris certis conditionibus commorari; & quod iam ſe praeparat ad acceſſum. In quo, tamquam in re diſplicentiſſima magnifico fratri noſtro Domino Bernabovi, & quod ad hoſtium exaltationem, & Ligae confuſionem noſcitur redundare, & diminutionem veſtri nominis & honoris, vobiſcum cordialiter condolemus. Quid erit dicere, quod invicta & glorioſa congeries Anglicorum hoſtes fugiat, & in locum quietis tanto tempore debeat incubare? Ecce vos eritis in medio noſtrarum terrarum tranquillus, & ab omni bellorum turbine valde remotus. Quae vobis ex hoc parabitur gloria, quum immediate ſint hoſtes Colligatorum limites invaſuri? Et ob id, Amice Cariſſime, pro honore veſtro, & totius Anglicae nationis, ne Brito-

(1) Ioannes Haucud, ſive Acutus Dux Anglorum, de quo pluries in prima Col. Epiſt. parte ſermo habetur.

nes glorientur, quod ipſis bello congredi fugiatis, pro ſingulari complacentia Domini Mediolani, & ſi umquam rem nobis acceptam & gratam decernitis vos facturum, vos ſtrictiſſime deprecamur, quatenus conſueta veſtra prudentia ſocietatem veſtram ad rem honorabilem diſponatis; vel ut in Patrimonium redeant ſociis & Colligatis noſtris futuri ſubſidio, vel in Marchiam (1) ubi in Camerinenſium territorio, & aliis locis optime poteritis permanere. Nos autem, ſi hoc decreveritis, confeſtim de Marchia Theutonicos, & alias gentes noſtras curabimus revocare. Ita quod ſola veſtra ſocietas in illis partibus cum hoſtium excidio, complacentia praefati Magnifici Fratris noſtri, & noſtra, & exaltatione Ligae, cum veſtri nominis maxima gloria, in regione opulenta & pingui poterit militare. De hoc autem iterum atque iterum veſtram magnificentiam deprecamur. Datum Florentiae die XVI. Novembris p. Indictione MCCCLXXVII.

DO-

(1) Marchia anconitana ampla Pontificiae ditionis Provincia. Eius praecipua urbs eſt Ancona. Terminatur haec Provincia a Septentrione Mari Adriatico, ab Oriente Ducatu Urbinatenſi, ab Occidente Aprutio ulteriori, a quo ſeparatur Truento fluvio, & a meridie dividitur ab Umbria monte Apennino.

X.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

MAgnifice Miles Amice Cariſſime. Heri non plene informati de actitatis vobiſcum per veſtros ſocios & Spinellum vobis ſcripſimus, quod placeret vobis diſponere veſtros ſocios ad eumdem in Patrimonium (1), vel in Marchiam prout in noſtris litteris plenius continetur. Verum poſtea toto nobis reſerato negotio, vobis de geſtis per vos ut veſtra Brigata in partibus remaneret, affectuoſa reddimus impendia gratiarum, & actus veſtros utpote plenos fidei atque prudentiae debitis laudibus commendamus. Ceterum ſi fieri poteſt, quod illuc ubi ſcripſimus redeant veſtrae gentes, nobis foret, & etiam magnifico fratri noſtro Domino Bernabovi gratiſſimum & acceptum; & vobis atque veſtris ad magnum honorem & gloriam redundaret. Sed ſi aliter fieri non poteſt quam ordinata proſequantur, & veſtra conſilia, contentamur; vos rogantes quatenus placeat taliter ordinare, quod gentes veſtrae per colligatorum, aut noſtra territoria dam-

(1) Patrimonium S. Petri, communius Provincia Patrimonii. Eius caput eſt Viterbium, eſtque haec Provincia inter Campaniam ad ortum, & Ducatum Caſtrenſem ad occaſum.

damnum non inferant, vel iacturam. Quod ut fieri poſſit provideri placeat, quod ad brigatas tranſeant ad loca pro ipſorum receptibus deſtinata; ubi talem ordinem poſuimus quod omnes poterunt merito contentari. Datum Florentiae die XVII. Novembris prima Indictione MCCCLXXVII.

XI.

SENENSIBUS.

FRatres Cariſſimi. Scripſit nobis Philippus Cionetti de Baſtariis (1), quod Dominus Ioannes Haucud fuiſſet contentus ſtare cum ſua brigata apud Montem Politianum, (2) ubi admodo hieme iſta nullum damnum infru-

(1) Philippus de Baſtariis, vir apprime inſignis tertio Reipublicae Princeps ſalutatus eſt, Legatione ad Summum Pontificem functus, aliiſque dignitatibus exornatus, ut videre eſt apud Adm. Hiſt. Flor. tom. 3. De Baſtariorum Gente haec habet Borghinius de Inſignibus Florentinarum familiarum. *I Rittafedi conſorti de Baſtari buone ed onorate famiglie popolari oggi com' io credo mancate &c.* Eorum aedes habent nunc publici carceres, ut ex Ugolino Verino de illuſtratione urbis Flor. eruitur.

Diruta Baſtariae gentis tenet atria carcer Publicus

(2) Mons Politianus, parva Hetruriae Urbs iuxta Clanim Paludem in aſpero colle ſita 28. milliaribus a Peruſia in occaſum, a Senis in Eurum diſtans.

fructibus fieri poſſet, ſed cum utilitate circumſtantium hibernarent. Eſſent praeterea oppoſiti cunctis inimicorum conatibus, & veſtrorum, ac Peruſinorum temtoria tuerentur, quum parati forent ad omnem hoſtilem adventum occurrere, & pro defenſione patriae viriliter dimicare. Propter quae videmus, ſi hoc ordinatur, vos ab omni periculo tutos, & hoſtibus magnum timorem inferri, & bellum quod in veſtris, & aliorum Sociorum finibus gerendum fore videmus, in inimicorum limites convertendum. Quocirca, quum idem Dominus Ioannes haec omnia in Oratorum veſtrorum praeſentia contulerit, & ab eis poſſitis eſſe plenius informati, veſtram Fraternitatem affectuoſiſſime deprecamur, quatenus pro ſalute veſtra pro ſecuritate veſtri territori, & ad reſiſtendum inſultibus inimicorum dignemini ſuper hoc celeriter providere. Nos autem ut hoc ſit, & tota Societas ad hoc ſalubre conſilium diſponatur, totis viribus adnitemur, ſi de veſtrae proceſſerit beneblacito voluntatis. Datum Florentiae die XXVI. Novembris prima indictione MCCCLXXVII.

XII.

IOANNELLO DE VICO MERCATO. (1)

NObilis Amice Cariſſime. Per ea quae ſcribit nobis Philippus de Baſtariis orator noſter, qui nuper colloquium habuit cum Magnifico Milite Domino Ioanne Haucud, idem Dominus Ioannes contentatur, quod gentes Anglicorum in terris noſtris Vallis Nebulae (2), Vallis Arni (3), Piſtorii, & Prati, ſicut ordinatum prius per vos exſtiterat, collocentur; & quod in manibus noſtrorum Officialium praeſtent de terrarum conſervatione corporaliter iuramentum. Super qua materia idem Dominus Ioannes plenius vobis ſcribit, & aliis noſtris Commiſſariis, totum in veſtris, & eorum manibus remittendo. Et quoniam hoc

(1) Vicus Mercatus, ſeu vicus Martius, oppidum, Inſubriae, in agro Mediolanenſi.

(2) Vallis Nebulae Tuſciae Oppidum, ex fluvio vulgo ab incolis *Nievole* dicto, a quo alluitur, nomen ſumens.

(3) Duae regiones ſunt in territorio Florentino, quae Valles Arni appellantur, altera ſuperior, altera inferior, ita dictae ab Arno fluvio qui eas interluit. Heic inferiorem vallem intelligendam eſſe puto.

hoc ſcimus eſſe de intentione Magnifici Fratris noſtri Domini Bernabovis, nobilitatem veſtram cordialiter deprecamur, quatenus amore noſtri velitis taliter operari, quod praedicta effectum glorioſiſſimum ſortiantur. Datum Florentiae die XXVII. Novembris prima Indictione MCCCLXXVII.

XIII.

IOANNELLO.

NObilis Amice Cariſſime. Scimus quam bene, quam prudenter, quam fideliter & circumſpecte vos habueritis in agendis, & ex hoc, ſicut tenemur, vobis plena referimus impendia gratiarum, veſtras laudabiles operationes Magnifico Domino cariſſimo fratri noſtro Domino Bernabovi copioſiſſime reſcripturos; & vos Suae Magnificentiae, quanto ſtrictius facere poterimus, recommendaturi. Nobilitatem autem veſtram cordialiter deprecamur quatenus, ſicut cepiſtis, ita laudabiliter proſequi procuretis. Datum Florentiae die ſecunda Decembris prima Indictione MCCCLXXVII.

XIV.

DOMINO IACOBO DE APPIANO. (1)

HOnorabilis quondam frater, nunc magnifice Domine mi. Non poſſum non eſſe contentus, licet per tanti Viri ruinam aſcenderis; cuique ſicut noſti filius, & ſervitor eram, te ad tantam ſublimitatem evectum, ad quantam Dei favore, tuiſque virtutibus perveniſti. Et ne dum non poſſum non eſſe contentus, ſed a concepto maerore reſpirans me continere non potui, quin ſuper his, quae tecum geſta ſunt, non congratuler, & exultem. Gratulor enim iſtam Civitatem Dei miſericordia de tam periculoſis motibus, tam ſalubriter compoſitam, & pacatam. Gratulorque tuae virtutes experientia tali proluxerint, quod omnibus dignior viſus ſis, qui tan-

(1) Iacobus Appianus profeſſione notarius fuit, in Florentiae ſuburbiis ignobili genere ortus. Sed cum Vannius eius Pater Piſas petiſſet Gambacurtis adeo fidelem praeſtavit ſervitutem, ut magnam apud eos invenerit gratiam: cumque ab Imperatore Carolo IV. e Piſis Gambacurtarum gens eiecta eſt, unus ex iis fuit, qui, Principum ſuorum infortunium ſecutus capite plexus eſt. Recuperato inde a Gambacurtis Piſarum dominio, ob paterna merita Iacobum eiusdem filium ad primos dignitatis gradus eſt exaltatus; a ſecretis enim Petrus Gambacurta eum ſibi elegit.

tanto, taliqueque morbo convenientem poſſes apponere medicinam. Sed ſuper omnia laetor, & gaudeo, immo mecum glorior, & triumpho caedem illius quondam Patris, & Domini tui, Domini Petri de Gambacurtis ſine tuo ſcelere contigiſſe. Hoc etenim, etſi ſemper mecum ipſe fuerim arbitratus, adeo tamen omnibus perſuaſum eſt, quod nullus poſſit contrarium aſſerere, nullus poſſit audita geſtorum ſerie dubitare. Ingens, immo perpetua tibi laus, & glorioſi filii tui (1), quem omnes praedicant ab illius ſanguine penitus alienum. Ut fateri oporteat caedem illam fato quodam reparaturam ſalutem tantae Civitatis, tuis virtutibus proveniſſe. Quid autem in ſubſequentibus te, & innocentiam tuam deceat tu ſapientiſſimum caput vides; cumque cognoſcas, & potes & debes. Scio quod multi, ut de te, & de ſtatu tuo videantur avidi zelatores plurima ſuggerent. Deterrebunt periculis, & homine mortuo finiri bellum peſſimo proverbio perſuadebunt. Tu autem memento tragicum illud, ſanguine humano abſtine, quicumque regnas. Sequens clementia tua fidem innocentiae facit. Intelligis licet miſeri nomen comprimam, plane quid ſentiam. Magni ſplendoris eſt prudentia, clementia tamen, tanto luminoſior, quanto ratior. Haec hactenus. Hortor, ſicut incepiſti, quod iſtos Dominos meos colas. Video rem diſpoſitam non diſponi, quod iſti, de quibus opinor tibi varia ſuggeri, loco Domini Petri ſint converſis affectibus receptu-

(1) Vannius huic nomen fuit.

cepturi. Tu fac, quod ipſum Florentini non ſolum non deſiderent, ſed minus fuiſſe ſuum, quam te viderint, experiantur. Ubi de utilitate tractatur, facile propoſitis commodis, conciliantur animi. Nam ſi vera potius, ut inquit Hiſtoricorum Princeps, quod ſpecioſa dicenda ſunt amicitiae noſtrorum temporum, comercia ſunt, & quamvis in ipſis iactetur honeſtum, ſola tamen utilitas, & amicitiae cultum, & honeſtatis diligentiam facit, ut ſi te talem viderint, qualem expedit eis, & optant, ſingularis amicitiae officiis excolaris. Et haec ſatis. Nunc autem Paulus Sabinus de Cereto mihi frater ſingularis, & amicus, fraterna tractus pietate Piſas accedit: ipſum tibi ſicuti me proprium recommendo maiorem in modum, rogans, quatenus quanti me diligas, in ipſo oſtendas. Vale felix, & Servuli tui memor. Florentiae III. Kalen. Novembris. (1)

IOAN-

(1) Ex hac Colucii epiſtola erui poſſe videtur, quod Petrus Gambacurta ab Appiano non fuerit interfectus. Verum a Colucio id potius dictum crediderim, ne Appiano blandiretur: conſtans enim apud Hiſtoricos iudicium eſt, ab eo Gambacurtam fuiſſe interfectum. De qua re haec habet Poggius Hiſt. Flor. lib. 3. ad annum 1392. quo Gambacurta dicitur interfectus. *Eodem anno Iacobus Appianus auxilio Mediolanenſis innixus Petrum Gambacurtam virum egregium, pacisque cupidum . . . . proditione interfecit, duos quoque filios* (Benedictum ſcilicet, & Laurentium) *qui in tumultu effugerant, cum retracti eſſent, occidendos curavit*. Eaque ratione Appianus Piſani Dominii tyrannidem occupavit. De hac re fuſius Adm. lib. 16. Hiſt. Flor.

XV.

IOANNI DE FABRIANO.

QUaeris, immo dubitare videris frater liberaliſſime mihi, quid Virtus quam Prudentiam dicimus haberi poſſit ab homine, an potius ſit res ita Divina, quod ab homine penitus non poſſit haberi. Quae quidem dubitatio longius, atque profundius radices habet, quam ut a me valeat explicari. Nec occupationes meas in deprecationis adduco vel cauſam, vel favorem, quamvis cum hac ingenii mediocritate, quae quidem citra medium ſit mecum ipſe cognoſco, ipſam queam vere, nedum probabiliter allegare, ſed ſolam quaeſtionis in ſe cum magnitudine difficultatem. Nam ſi voluerimus, ut ſatis rationabiliter dici poteſt, ipſam haberi non poſſe, fruſtra videbuntur cunctorum moralium ingenia laboraſſe. Fruſtra Sapiens, fruſtraque tradita nobis chriſtianae Religionis ſaluberrima diſciplina. Sin autem ipſam haberi poſſe duxerimus, fateri oportet ipſam omnino ſubeſſe quod non poſſumus, affirmare. Caeterum ſi fuit in aliquo perfecta prudentia, fuerint neceſſe eſt & cunctae virtutes, quandoquidem quaelibet virtus ex omnium virtutum divitiis, & ut ita loquar, ſupellectili componitur; quarum ſi qua deſit, nulla poſſit virtus omnino conſtare. Nam ut de Prudentia diſputemus, quam rectam rationem

nem diffiniunt agendorum, ſi tollas ab ipſa Iuſtitiam, quae poterit eſſe prudentia, ſi non in iuſta? Hoc idem licet de ceteris affirmare. Si deſit etenim Fortitudo, qua contra pericula muniatur, ubi colligi poterit agibilium rectitudo, cum formido terribilium cuncta perturbet? Cumque ſine carnalibus affectibus non vivamus in corpore, quod aggravat animam, & ſenſum multa cogitantem, ſi tollatur Temperantiae frenum, quomodo poterit mens commota, & quaſi nubibus paſſionum offuſcata, ut veram rationem inveniat, ſerenari? Quo fit, ut concludere nos oporteat, nedum in aliquo nunquam aliquando fuiſſe Prudentiam, ſed quod omnino nequeat reperiri. Nec mihi de mediatore nunc Dei, & hominum ſermo eſt, ſed de puris, & mortalibus, qui naturae viribus relinquantur. Scio quidem Deum ſuplere poſſe per Gratiam, quod nobis non poteſt contingere per naturam. Nec negaverim in Sanctis Patribus, atque Martyribus noſtris perfectam fuiſſe virtutem, quos legimus, nedum patienter toleraſſe tormenta, ſed quod conſummatam, & phyſicam eſſe voluerunt, etiam intrepide mortem, quamvis terribilem, expectaſſe. Immo, quod plus eſt, ad illam cum non appellarentur, vel fugere poſſent, voluntarie cucurriſſe: adeoque ſuccenſos amore Chriſti, pro cuius confeſſione moriebantur, quod liberationem in mediis tormentis oblatam recuſantes, Deum pro perfectione martyrii rogaverunt. Nec tamen, ſicut non negaverim perfectam in ipſis fuiſſe virtutem, ſic conſummationem earum ipſos habuiſſe, confirmem;

poſt-

poſtquam Apoſtolorum maximus de ſe ſcripſit. *Ego autem carnalis ſum venumdatus ſub peccato*, & poſt aliqua. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae*. Qui quidem ſtatus non eſt, qui vere, conſummateque debeat dici virtuoſus. Prudentia igitur, quae ſicut dixi, recta agibilium ratio definitur, aut Dei donum eſt, aut non poteſt ab homine uſque ad perfectionis terminum poſſideri. Quis enim adeo linceis oculis, adeoque perſpicacis, vel vividi intellectus, qui de praeteritorum ratione noverit praeſentibus formam tradere, vel futuris regulam exhibere? Poſſumus tamen eſſe virtutis huius participes plus, & minus; ex quo fit, ut alter altero prudentior habeatur. Nam ſi aduſque perfectionem aſcendi poteſt ad aequalitatem, & ut ita loquar equilibrium, quotquot veniſſent ad illam deberent non impariter comparari. De Seneca vero quae ita mordes, alias ſermo fiet. Vale: ſiquid vis cum Poteſtate Chiantis (1) cura ut venias, ſecumque componas. Ego quidem iam te tradidi ſibi abſentem, & cum hic fueris praeſentabo. Florentiae XVIII. Kal. Februarii.

DO-

(1) Regio Etruriae non parva optimo vino, quod gignit valde celebris: eius praecipua oppida ſunt Panzanus, Radda, Caſtellina, Grevis, aliaque. Plurima in ea poſſedit iam, & nunc quoque poſſidet nobilis Familia Ricaſola.

XVI.

DOMINO MANTUANO.

Sentio magnificentiſſime Domine mi penes te maximam librorum copiam eſſe, multoſque te congregaſſe, qui non poſſent alibi forſitan reperiri. Regia vere cura, & diligentia, in qua Ptolemaeus Phyladelphius, adeo famoſus fuit, quod in ipſam Bibliothecam Alexandrinam congeſſiſſe legamus, incredibile dictu, ſeptuaginta millia librorum. (1) Nec hoc idem Auctor Romani Imperii, Nilotica Biblioteca, civili ſive potius Alexandrino bello peruſta, non facere cogitavit, qui id Romae faciendum inſtituit Caius Caeſar tradens huius rei curam, & opportunam pecuniam Marco Varroni, ut non te paeniteat id curare, quod maximis olim Principibus non inferior occupatio fuit. Scio autem te nolle libros includere, ſed habere, nec uſui tantum dedicare tuo, ſed ipſos, ut ſunt ſcribentium deſtinatione, reputare communes. Quamobrem fiduciam capio, quod ſi quos habueris, quibus caream, illorum exemplationem mihi non invidebis. Et ſi ſenſeris parvitatem meam in hac re ſecundum aliquid te ditiorem eſſe, iubeas, precor. Libenter equidem tuis parebo iuſ-

(1) De hac Bibliotheca deque ceteris vide Ioannem Lomeierum in libro ſingulari de hoc argumento.

iuſſionibus. Velim autem dignetur Benignitas tua, ſi quos habueris Poetas extra communes iſtos, vel hiſtoricos, vel morales, qui diſcurrunt per omnium manus, ut ſcire poſſim, quo deſumendis exemplis, valeam providere. Et quia mihi magna cum certitudine relatum eſt apud te eſſe Ennium antiquiſſimum Poetarum latinorum, dignetur tuae ſublimitatis humanitas, ſi ſic eſt, illum mihi, exemplandi gratia, commodare, libenter enim aliquid illius exoticae latinitatis aſpiciam. Vale magnificentiſſime Domine mi, ſervuli tui memor. Caeterum Floriamonti tuo, cuius virtus omnibus Florentinis grata fuit, praebe, ſupplico, fidem, tamquam, ſi quae retulerit, me dicentem audieris. Florentiae VIII. Kalend. Decembris.

XVII.

FRANCISCOLO.

VEnit tandem, ut a tuis litteris, frater optime, auſpicium faciam, venit tandem Africa dulcis, & vicit iter durum pietas, ut ille idem Vates ait, venit tandem, & per fideliſſimum, nobilemque meritis, & ſanguine virum mihi praeſentatam, & avide, & reverenter accepi, vixque prae gaudio continui lacrimas. Sed iamdiu experientia, multiſque rerum argumentis edidici, numquam tam laeta provenire, quin triſtibus non aſpergantur. Nec mirum; prodeunt gratiſſimae roſae, ſed nonniſi inter ſpinarum aculeos colli-

liguntur. Mella ipſa cuſpidiferas apes habent matres, vel ſaltem naturales artifices. Sed quid moror in re clariſſima? Quid dabis inter humana, quod paene non tantumdem afferat moeroris, quam laetitiae? Sic mihi contigit Frater optime. Ante enim quam Africam recepiſſem voluebam mecum: Quid facies? Ecce Franciſci tui nomen, & fama in manibus tuis erit. Quomodo conſules illi? Certe cogitabam revidere librum, & ſi quid, ut ſcribis, vel abſonum, vel contra metrorum regulam intolerabile deprehendiſſem, curioſius elimare & ſicut Naſo finxit in Aeneida, ſingulos libros paucis verſiculis quaſi in argumenti formam breviſſime reſumere, & exinde pluribus ſumptis exemplis, & per me ipſum correctis, & diligenter reviſis, unum ad Bononienſe gymnaſium, unum Pariſius, unum in Angliam cum mea epiſtola de libri laudibus deſtinare, & unum in Florentia ponere in loco celebri, ut per omnes mundi plagas tantum opus, tantique vatis nomen ſplendidiſſimum volitaret. Hanc deliberationem lex, quam mihi ſcribis, & quam tranſire nec volo, nec audeo, niſi aliter diſponas, inhibuit. Sed pone te velle, quod per manus meas liber huiuſmodi publicetur. Me miſerum? Legi totum carmen, quod mihi undecim quaternulis tranſmiſiſti, legi quidem totum ſolo trinoctio. Nam interdiu propter officii occupationes, quae etiam plerumque ad plurimam noctem inſtant, omnino non licuit. Legi quidem admirabundus elegantiam carminis, maieſtatemque ſermonis, gravitatem ſententiarum, & ipſum totius poematis

matis ordinem, & contextum, fateorque me nihil unquam gravius, nihil floridius, nihilque denique gratius perlegiſſe. Sed de hoc alias. Iam enim attingam, quid me in deſperationem, & luctus aeternos involvit. Habet primus, & ſecundus liber Scipionis mirabile ſomnium, quod apicem hiſtoriae Romanae percurrens quantum expoſitionis volumen exigat quilibet harum rerum ſtudioſus poteſt advertere. Habet tertius profectionem Laelii ad Siphacem Regem Numidiae, ut amicitiam contrahat cum eodem nomine Scipionis, & per magnam libelli partem domum regiam mirabili deſcriptione depingens demum ponit orationem Laelii; Ibi *Optime Rex tanto quem ſors dignatur amico:* Et demum ſubdit Regis reſponſum ibi: *Tum Rex blandus ait: veſtrum Romane libenter Propoſitum amplector*, in quo petit ſe velle videre Scipionem. Ad ultimum in coena, & collocutionibus totus tertius liber, & quartus abſolvitur, & omittit reverſionem Laelii, profectionem Scipionis ad Regem, adventum Aſdrubalis, fugam Conſulis, coenam, & colloquia Regis, contractum foederis, apparatum Romani exercitus transfretaturi, diſſenſionem Senatus, perfidiam Regis, navigationem Scipionis cum exercitu, expugnationem caſtrorum Regis, & Aſdrubalis igne factam, perſecutionem Regis Laelio mandatam, & Maſiniſſae, & eius captivitatem, deditionem Cirtae, & quicquid hoc medio tempore geſtum eſt, a quibus hoc ſequens opus, ut videre licet, omnino dependet. Quae cuncta quum breviter, & iudicio meo non pau-

 cio-

cioribus, quam duobus libellis explicari poſſent, nuſquam ſunt, ſed tamquam omnia iſta praedixerit mox abrupto penitus ordine dicendi: *Moenia magnanimus victor trepidantia Cirtae* de Maſiniſſa loquens poſt Regem in Africa devictum. Qui defectus quomodo irrepſerit ego neſcio. Forſan illos correctiſſimos Franciſcus, & per neminem tangendos dimiſit. Forſitan exemplantis errore dimiſſi ſunt, aut, quod maxime reor, cum ſciam Dominum Franciſcum poſt primam editionem Africam in unum quaternum reduxiſſe, forte ipſe idem aliquid mutaturus in chartulis primis conſulto reliquit. Forte enim cogitavit profectionem Scipionis ad Siphacem, quae eidem a cunctis ad temeritatem adſcribitur, ſubticere, ne viri famam, quem laudandum aſſumpſerat, denigraret. Quocirca Frater optime niſi hoc, quod deficit, inveniatur, iam ego de Africa noſtra, hei mihi horreo dicens, actum iudico, ut corrigenda ſit potius Vulcano tradenda, quam edenda, niſi forſan multum libri duxerimus extinguendum, quod faciendum nullo modo iudico. Ex quo te per Deum, & Superos omnes adiuro, & per ſi quem amorem adhuc ad Manes tanti Viri, ut arbitror, habes, per amicitiam noſtram honeſtiſſimis inceptam auſpiciis, per ſi quid earum umquam in illo ſanctiſſimo Viro fuit, per ſuae famae aeternitatem, cuius te curam habere reor, quoniam ex hoc libro, crede mihi, eius memoria exſtabit, obteſtor & oro, quod hunc defectum revideas, & chartulis primis, quae meruerunt tam divino carmine primum inſcribi, aut alibi,

bi, ubicumque ſit, invenias. Et ego me offero laboraturum, ut cuncta revideam, & quae corrigenda videro, corrigam, meis expenſis, ſi tibi placuerit, edam, ut mecum ipſe, antequam librum reciperem, cogitabam. Rogo te, ut in conſilium inſignem virum Lombardum (1) meum maximum famae Franciſci noſtri cuſtodem, atque praeconem adhibeas, & confeſtim me hoc animi moerore curetis abſolvere. Vale dum demum felix, cum hoc unum, in quo vertitur omnino ſplendor illius tui cari parentis effeceris. Datum Florentiae quinto Kalendas Februarii. (2)

(1) Lombardus de Serrigo Patavinus. Inter familiares Petrarchae epiſtolas una eſt ad hunc Lombardum, in qua Lorbardus, ſive Lobardus appellatur. Hic manum ultimam appoſuit viris illuſtrium Virorum a Petrarcha exaratis, quas uſque ad vitam Iulii Caeſaris produxerat; alium quoque conſcripſit librum de quibuſdam memorandis mulieribus. Obiit die 21. Auguſti an. 1390. Vide Ephemeridum Venetarum t. 9. p. 158.

(2) Haec epiſtola publici iurisfacta eſt etiam a Laurentio Mehus, eaque eſt XXVII. primae partis: nos autem ideo heic appoſuimus, quod ab ea exitus eruitur epiſtolae ſuperius allatae pag. 44., in qua Colucius rogat Franciſcum de Broſſano, ſive ut malunt alii de Borſano, ut Africae Poema ſibi tranſmittat.

XVIII.

PERUSINIS.

FRatres Cariſſimi. Decrevimus Sacrarum legum, atque liberalium artium ſtudium in Civitate noſtra reducere, quod quidem putamus ad totius Tuſciae mangnificentiam redundare. Quid enim eſt videre Tuſcos olim divinarum, & umanarum rerum adeo peritos, & gnaros, quod legamus Florentiſſima Repubblica Romanorum decem Romuleae gentis principum filios ex Senatus Conſulto ſingulis Etruriae Populis traditos, ut Sacrorum obſervantiam iuſtis moribus ipſorum ritibus referrent in Urbem, extra Tuſciam ſcientiam quaerere, & alienae nationis iuris hanc ſtudiorum gloriam per ignaviam condonare? Cogitantibus itaque nobis civilis praecipue Iuris ſolemniſſimos habere Doctores, deliberatione matura providimus veſtram urbem principaliter honorare. Et quum elegerimus ad hoc munus egregium legum Doctorem, & ſingulariſſimum Iuris interpretem Dominum Baldum Civem honorabilem Peruſinum, (1) Fraternitatis veſtrae rogamus affectus, quatenus eidem placeat non ſolum

(1) Baldus Ubaldius celeberrimus iuris peritus, Peruſii anno 1319. ortus ex Franciſco de Ubaldis Medico Clariſſimo, ut eruitur ex Sigillo VII.

lum veniendi licentiam amore noſtri cum benignitate concedere, ſed etiam ſi forte ſocordi conſilio non . : . . . ipſe ſuae curaret laudis honorem, placeat eum in dicta neceſſitate cogere, quodque noſtris votis ſatisfaciat, perſuadere. Sit huius ſtudii noſtrum onus in ſumptibus, & veſter honor in conceſſione li-

---

VII. ab erudito Viro Dominico Mannio relato tom. 7. pag. 67. in quo ſic legitur:

SIGILLVM BALDI DOMINI FRANCISCI DE PERVSIO DOTTORIS VTRIVSQVE IVRIS

Pluribus in locis civilis iuris interpretis munus obivit, mortuus eſt Papiae, atque in templo D. Franciſci cum Religioſo ipſorum fratrum habitu ſepultus hac inſcriptione:

VITA, LABOR STVDII, DIVINI CVLTVS AMORIS,
ARTES MATVRAE, LEGIS FVLGENTIA DICTA
LEGALIS NORMAE, PASTORVM CAELICA IVRA
ORNANT BALDI ANIMVM, QVI PANDIT DOGMATA CLARA.
QVI QVIA NVNC LINQVIT MORTALIA PONDERA CARNIS
DVLCIA IAM GVSTANS AVCTORIS PASCVA SVMMI,
CLAVDITVR HIC BALDVS FRANCISCI TEGMINE FVLTVS,
DOCTORVM PRINCEPS, PERVSINAQVE EDITVS ARCE,
QVI OBIIT AN. MCCCC. DIE XXVIII. APR.
IN AVRORA.

Conſule Mannium cit. loco, in quo hanc ipſam epiſtolam publici iuris factam invenies.

bera tanti viri; ut tantum bonum ex vobis, & nobis cum participatione gloriae compleatur. Datum Florentiae die. XIX. Iulij VIII. Indictione MCCCLXXXIII.

XIX.

FULGINATIBUS.

AMici Cariſſimi. Vidimus veſtras litteras ad Thomaſium & Andream conſocios noſtros nuperrime deſtinatas, quibus vos commotos ex zelo Iuſtitiae non inſurrexiſſe contra illos funeſtiſſimos Parricidas, qui auſi fuerunt in magnificum Dominum Dominum Trinciam perfidas manus inijcere, dolebatis, (1) & ad ulciſcendum tam deteſtabile facinus intimatis, & quomodo expuiſis illis nequitiae filiis, & revocato Corrado de Trinciis ac Ugoli-

(1) In Trincios ex hac epiſtola coniuraſſe apparet quoſdam ex Fulginatibus. Conſimilis coniurationis in eoſdem Trincios meminit Admiratus ad annum 1420. his verbis. *A Fuligno andò Franceſco Machiavelli dottore per condolerſi con Currado de' Trinci* (Corradum hunc illum eſſe credo, ad quem directa eſt epiſtola infraſcripta) *Signore di quella terra, dell' atroce caſo della morte di Niccolò, e Bartolommeo ſuoi fratelli, e a dargli animo, e offerirgli aiuto per mantenerſi in quella Signoria*. Unde apparet etiam Trinciam familiam Fulginei Dominam fuiſſe.

lino (1) veſtra Civitas in tranquillitate quieſcit, & magno videtur gaudio conſolata. De quo vobiſcum iucundis animis exultamus. Et in eo quod ſcribitis veſtri fore propoſiti contractas cum ſacra Liga per Commune veſtrum inducias (2) obſervare multipliciter contentamur. Et nos ex parte noſtra ſimiliter faciemus, ac ut idem per magnificos fratres noſtros Commune Peruſii decernatur, eiſdem ſcribimus in forma, quam iuſſimus praeſentibus intercludi, nobilitatem ac dilectionem veſtram hortantes, quatenus in tali propoſito perſiſtatis, & veram ac multis temporibus antiquatam caritatem, qua Commune veſtrum noſtro coniungitur, ſicut firme ſperamus, inconcuſſis animis conſervare, parati ad omnia vobis placita & accepta, & quae ad veſtri ſtatus ſubſtentationem cognoverimus pertinere. Datum Florentiae die XVI. Decembris prima Indictione MCCCLXXVII.

(1) Ugolinum Fulginei Dominum memorat etiam Adm. Hiſt. Flor. part. 1. tom. 2. lib. 16. ad annum 1396.

(2) Ad has inducias faciendas Trinciam Hortatus eſt Colucius in Epiſtola 37. primae partis pag. 86. Illam conſule.

XX.

CORRADO DE TRINCIIS.

AMice Cariſſime. Reverſionem veſtram in civitatem Fulginei (1) Thomaſio & Andreae noſtris ſociis per duas veſtras litteras nuntiatam laetanter audivimus, & in tam iucundo, & inſperato ſucceſſu vobiſcum totis animis congaudemus. In eo autem, quod vos obſervaturum contractas inducias obtuliſtis, multipliciter contentamur. Et nos ex parte noſtra ſimiliter faciemus, ac ut idem per magnificos fratres noſtros Commune Peruſii decernatur, eiſdem ſcribimus in forma, quam iuſſimus praeſentibus intercludi, nobilitatem ac dilectionem veſtram hortantes, quatenus in tali propoſito perſiſtatis, & veram ac multis temporibus antiquatam caritatem, quae Communi noſtro veſtrorum praedeceſſorum ſeries eſt coniuncta, ſicut firme ſperamus, inconcuſſis animis conſervare, parati ad omnia vobis placita & accepta & quae ad veſtri ſtatus ſubſtentationem cognoverimus pertinere. Datum Florentiae die XVI. Decembris prima Indictione MCCCLXXVII.

PE-

(1) Fullinium, ſive Fulgineum, Etruſce *Fuligno*, parva Umbriae Urbs, ad radices Montis Apennini ſita 20. milliaribus diſtans a Peruſio in ortum, & 10. ab Aſſiſio.

XXI.

PERUSINIS.

Magnifici Fratres Cariſſimi. Nobilis vir Corradus de Trinciis, nec non magnifici viri & amici noſtri cariſſimi Commune Fulginei noſtris ſociis nunc per ſuas litteras intimarunt, quod intendebant contractas inducias obſervare. Ob quod Fraternitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus pro quiete Patriae & honore veſtri Communis & noſtri, qui maxime in promiſſorum obſervantia continetur, dignemini treguas praefatas facere inviolabiliter obſervari, &, ſi qua forte novitas propter motum Fulginatum in partibus occurriſſet, reſtitutionem captivorum atque praedarum diligentia tanta comprimere, quod cuncti videant, vos velle quaecumque conventa ſunt firmiter adimplere. Datum Florentiae die XVI. Decembris prima Indictione MCCCLXXVII.

XXII.

COMITI LUTIO.

GLorioſa ſunt nobis dicta de Vobis, Miles magnifice, & amice noſter cariſſime. Glorioſa quidem, nam virtute veſtra hoſtes tumidos & potentes campeſtri pugna ſuperaſtis, & demum deficiente hoſte, qui in aciem copias educeret & vobiſcum pugnam conſerendo committeret clauſos intra moenia viriliter, & non minus feliciter tentaviſtis. (1) In quibus oſtendiſtis, miles egregie, quantus inſideat amor menti veſtrae ad honorem, & ſtatum magnifici fratris noſtri Domini Bernabovis & noſtrum; quanta pectori veſtro inſit audacia, quantaque in prompta manu vobis ſit & in veſtris gentibus fortitudo. Ob quod vobis merita reddimus impendia gratiarum, nobilitatem veſtram hortantes, quatenus per inceptorum veſtigia perſiſtatis. Plura caſtra iam veſtro ſunt ſuperata certamine: quaedam timore perterrita ſe ſpontanee tradi-

---

(1) Colucius heic forſan loquitur de pugna a Comite Lutio cum Varano habita, in qua capti ſunt ad mille hominum, ducenti interfecti, ipſe autem Varanus ferme ſolus intra Tolentini moenia fuga ſe recipere coactus eſt.

diderunt. Nec ſumus animis dubii, quin felíciora felicibus veſtrae virtutis magnitudine cumulentur. Ite igitur, vir fortiſſime, pede fauſto, & pugnam iuſtitiae quam fovemus, & libertatis certamen, quam noviſtis nos deſiderare, certate (1); ut veſtro marte, veſtraque virtute, ſicut ſperamus in bello victoriam, & per bellum pacem nobis cum veſtri nominis gloria pariatis. Datum Florentiae die IIII. Decembris prima Indictione MCCCLXXVII.

OMNI.

(1) Arma enim ſumpſerant Florentini, & Sacram Ligam patraverant ad libertatem tuendam, quam ſibi ablaturos Eccleſiae Praefectos praeſenſerant. Ideoque ſigna militaria erexerant inſcripto LIBERTATIS nomine.

XXIII.

OMNIBUS COLLIGATIS. (1)

Quoniam ſtatum Libertatis Italiae videmus a Sacrae Ligae nexibus dependere, & quoniam convocatio Sociorum noſtrorum conſuevit eſſe conſolationis & fructus, ex deliberatione magnifici & excelſi Domini Domini Bernabovis Vicecomitis Mediolani Maieſtatis Imperialis Vicarii Generalis, conſulte decrevimus in Civitate Florentiae, omnes colligatos, & ſocios convocare, ut de ſtatu publico totius ligae in medium conſulatur, & ut prorogentur tempora ligae, prout tunc videbitur omnibus adunandis. Quocirca caritatem veſtram affectuoſiſſime requirimus & rogamus, quatenus veſtros Oratores ad diem ſecundam menſis Februarii proximi, quam (quod felicibus auſpiciis Purificationis Beatae Virginis factum ſit) pro huiuſmodi parlamento duximus deputandam, placeat deſtinare cum ſufficienti auctoritate atque balia Ligam uſque ad tempus, de quo deliberabatur, prorogandi, & ordinandi omnia quae fuerint ad exaltatio-

nem

(1) Qui nam fuerint Colligati, vide primam partem Col. Epiſt. praeſertim pag. 84.

nem & ſtatum tam ſanctae tamque neceſſariae ſocietatis. Datum Florentiae die XVIII. Decembris prima Indictione MCCCLXVII.

XXIV.

FILIIS DOMINI CANTIS DE (1) MONTEVETULO.

Nobiles Amici Cariſſimi. Recepimus reſponſionem veſtram circa materiam pannorum retentorum per vos, illorum mercatorum Fedarenſium per quam dolere videmini, quod ab initio ſuper hoc non ſcripſerimus noſtram voluntatem & intentionem; addendo quod res iam diſperſae forent iuxta noſtra beneplacita reſtitutae: de qua reſponſione plurimum admiramur, quoniam per noſtros oratores veſtra nobilitas ad plenum de noſtra intentione potuit informari. Et quoniam devotio quam habemus ad ſerenitatem Regis Ungariae eſt notoria, & vobis & cunctis populis manifeſta, bene potuit veſtra prudentia in hoc percipere quod vellemus. Addatur ad haec quod iſtae mercantiae fuerunt per noſtros ci-

(1) Fanum Fortunae inter nobiles familias ſuas recenſet adhuc familiam Comitum de Montevetulo in qua etiam nunc Cantis nomen invenitur.

cives, ſicut ſaepius ſcripſimus ſecuratae, & quod omne damnum huius rei ſit ad ipſos integre reverſurum; quorum lamenta quae quotidie apud nos ſine intermiſſione fuerint, maxime cum iuſtitiam poſtulent, non poſſumus ulterius ſubſtinere. Et ideo omittendo quas querelas apud nos fecerit de hoc magnificus frater noſter Dominus Galeoctus vos iterum deprecamur, quatenus amore noſtri placeat circa dictam reſtitutionem toties per oratores & litteras poſtulatam benigne, quantum ſcitis nos appetere, providere. Circa guerram autem, quam cum Domino Franciſco de Caſtracanibus geritis, oratori, quem vos tranſmiſſurum ad nos ſcribitis, reſpondebimus, & quantum nobis fuerit poſſibile vobis curabimus complacere. Datum Florenciae die XXIII. Decembris prima Indictione. Ceterum ſer Ludovicum Bartoli civem noſtrum dilectum hac de cauſa deſtinamus, cui circa hoc credere placeat tamquam nobis. Datum ut ſupra.

CO-

XXV.

COMITI RUBERTO DE BATTIFOLLE (1) (2).

NObiliſſime Domine, & ſingulariſſime Domine mi. Scio Dominorum alta ſemper eſſe conſilia, nec aliorum eſſe de ſecretis ipſorum vel rationem quaerere, vel temere iudicare. Licet tamen illis, qui noti ſunt, quique in ius amicitiae recepti fuerunt intercedere pro miſeris, & pro humanis erroribus ſupplicare. Quo iure, quaque fiducia fretus, ſi te rogaverim, Vir clementiſſime, pro venerabili Patre, & compatre meo Domino Abbate Puppii, tua ſincera dilectio non miretur, praeſertim quod novit Deus me potius tui gratia honoris, quam ipſius liberationis amore tibi ſcribere fideliter, amicabiliterque decreviſſe. Et ut ſcias quod ad hoc me perpulit; ſcito qualiter hoc mihi ſtanti, plurimi Cives acceſſerant ſuper huius detentionis materia Dominos adituri. Quod reſciens perſuaſi cunctis, quod nollent rem iſtam adeo divulgare, quum eſſe non poſ-

(1) Comites Battifollis ex Guidiorum Familia fuerunt, ut videre eſt apud Admiratum in eiuſdem familiae hiſtoria. Hic autem Rubertus Caroli filius fuit, qui poſt patrem, Puppii etiam Comes eſt appellatus.

(2) Battifollis oppidum fuit quatuor vel quinque millaribus a Puppio diſtans Florentiam verſus, cuius veſtigia vix adhuc apparent.

poſſet, quin, & tuus honor, & eiuſdem Domini Abbatis aeſtimatio non laedatur: dum multi manus in Praelatum, & Chriſtum Dominum inieciſſe, quidquid te ad id impulerit non ſine iure repraehenderent; & alii ſine maxima cauſa rem tam rari, ne dicam mali exempli proceſſiſſe forſitan cogitarent. Scis enim quanta cum paenarum ſeveritate, Eccleſiaſticarum rerum, Perſonarumque cenſura laicis prohibetur. Obtinui ergo ab omnibus, ut ſilerent; & ego ſcribendi pondus in me ſuſcepi, ſperans id obtinere, quod te dignum eſt concedere, quaeque fas eſt amicum in amici manibus impetrare. Quamobrem nobilitatem, & dilectionem tuam, quanto affectuoſius poſſum, deprecor, & exoro, quatenus in hac re prudentiſſime velis honorem tuum conſiderare, ponere tibi Deum ante oculos, putareque quod magis tui gratia, quam illius, tibi ſcribam; efficereque quod idem Dominus Abbas dici nequeat eſſe detentus, ſed ipſum amore mei maximum in modum habere placeat recommiſſum. Et in hac re, ſiquid unquam de te ſperare poſſum, oſtende. Vale Domine mi, parce precor ſi forſan hec res duriuſcula tibi viſa ſit. Non enim poſſumus & amicis morem gerere, & plerumque iuſtiſſimis licet, noſtris affectibus indulgere, ut ſiquid affectui repugnet tuo, cum hac mea ſingulari complacentia recompenſem. Florentiae v. Kal. Seſtilis.

EIDEM

XXVI.

EIDEM.

EXpectavi nobiliſſime Domine, quod Dominus Paulus mecum, ſicuti dixerat, loqueretur. Nam ſciens Domini Patris Abbatis moderationem, non facile crediderim ipſum ſub colore repetendi calculi, quod contra iuris ordinem eſt, incipiendum a captura decreviſſe: nec in tali re, quando in ultimis, & rebus deſperatis, conceſſum eſt implorare brachium ſaeculare. Cave Domine mi, ne perverſa, blandaque conſilia eo te praecipitent, vel iam praecipitaverint, niſi cito reſilias, ubi cum temporalis infamiae nota, ſpiritualiter Deum offenderis, non faciliter abſolvendus. Mementoque plurima ſigna Deum dediſſe quantum ſibi diſpliceat Dominos abuti potentia ſaeculari, iniciendo manus in *Sacerdotes*, & *Chriſtos* Dei ſuos. Sit exemplo tibi Saul (1), & Philippus Francorum Rex, qui per *Sciarram* Columnenſem Bonifacium, octa-

(1) Qui cum audiſſet Achimelecum Sacerdotem Dominum pro Davide conſuluiſſe, eique cibaria dediſſe, iratus iuſſit occidi, & cum eo Sacerdotes octoginta quinque, & Nobe Civitatem ipſorum impie percuſſit in ore gladii 1. *Reg. cap.* 22.

octavum offendit (1). Et ut Federigos (2), Manfredos, & alios multos omittam, conſidera Carolum noſtrum, qui poſtquam ſimili errore praeſumpſit in Urbanum, cuncta ſibi retrorſum, & infeliciter ſucceſſere (3). Quo te per Dei reverentiam, & aſperſionem Sanguinis Ieſu Chriſti, Domine mi, deprecor, & exoro, quatenus hoc derelinquas inceptum, nec propoſitum urgeas, ſed immutes. Cogitaque tecum ſic Deum noſtros tolerare reatus, quod vel correctionem expectaſſe, vel aggravari peccatum permiſiſſe ad paenae cumulum videatur. Plura, & a pluribus ſcriberem: ſed . . . . . lator praeſentium plenius tibi foret de materia locuturus, cui credito tamquam mihi. Et ſperato Deum memorem nefandi. Florentiae XVI. Kal. Septembris manu propria feſtinanter.

CO-

(1) Sciarra Columnenſis iuſſu Filippi Francorum Regis Bonifacium VIII. Anagniae degentem aggreſſus eſt, & ſumma Pontificii Culminis dignitate omnino poſthabita Illum Sacris veſtibus indutum indigne habere, & captivum reddere auſus eſt. Vide Baron. ad annum 1303. Haec ipſa habet etiam Cl. Muratorius tom. 4. Antiquitatum Italicarum Medii Aevi in fragmentis Fulginatis Hiſtoriae.

(2) De Friderico II. Imperatore, qui Eccleſiae perſecutor eſt adpellatus, vide tom. 1. Epiſt. Petri de vineis editarum Baſileae an. 1740. De nonnullis aliis huius nominis principibus Baronium conſule ad annos 1158. 1225. 1322. & alibi.

(3) Cum Urbanus VI. Roma, ubi peſtis graſſabatur, fugiens Neapolim ſe recepiſſet, Carolus Rex in arcem Averſae captivum perfide cuſtodiri iuſſit. Vide Baron. ad annum 1389.

XXVII.

COLUTIUS POETA FLORENTINUS BERNARDO DE MUGLO. (1)

INdignaris tecum dilectiſſime Fili nullam tibi diem ſinceram, & iucundam effluxiſſe, quum gaudia matutina veſpertinus tibi moeror obnubilet. Gaudeo te iſta perpendere: dummodo poſt experientiam plurimam, & indi-

 gnari

(1) Bernardus de Muglo Patria Bononienſis fuit. Alia ad hunc ipſum Epiſtola publici iuris facta eſt a Laurentio Mehus, eaque eſt XI. primae partis; in qua adnotatum lego hunc Bernardum filium fuiſſe Magiſtri Ioannis de Muglo artium, & medicinae Doctoris famoſiſſimi; Verum hoc loci ſuſpicor hallucinari Laurentium noſtrum, cum Bernardus de Muglo Petri (ad quem directa eſt Epiſtola LXXII. noſtrae primae partis) filium fuiſſe ex hac Epiſtola appareat, ubi de Petro vita functo loquens ait; *Praemiſimus perpetuum Bononiae decus uniuſcuiuſque virtutis ſpecimen patrem tuum &c.* niſi dicere velimus, Petrum hunc Ioannis quoque nomine fuiſſe inſignitum, quod tamen ex ipſo Mehus dici non poſſe apparet, cum in cacatis quibuſdam pervicaciſſimis chartis Petrum hunc de Muglo Rethorem non Medicum fuiſſe contendat, Ioannem vero in adnotatione ad citatam Epiſtolam, ex Cl. Muratorio Medicinae Doctorem fuiſſe afferat.

gnari deſinas & mirari. Quid enim ſolidum, aut verum, aut, ſi hoc modo melius exprimi ſenſus poteſt, quod longiuſculum gaudium in hac caducarum rerum Societate caducis & corruptibilibus eſſe poteſt? Nulla ſunt in hac vitae noſtrae converſatione ſtabilia: aut nos illa deſerimus, aut nos ipſa deſerunt. Hinc & inde ſi terram reſpicias inceſſabilis fluxus & refluxus eſt. Quid prodeſt fortunae benignitatem arridere perpetuo, poſtquam, licet ipſa non deſinat, tu tamen es illi, dum inevitabile fatum mortis evenerit, defuturus? Sed rariora commemoro, frequentius enim eſt mutare fortunam, quam a felicibus derelinqui. Quid igitur mirum o fili dulciſſime: ſi diem integram, & ſerenam effluxiſſe non vides? Docent haec nos non huic mundo, ſed ad aliud natos eſſe. Quod ſi nulla ratione pateat, ſatis eſt ſine dubitatione cognoſcere felicitatis bona aliter redundare, quod nihilo prorſus indigeat, quem contigerit eſſe felicem. Atqui Reges & Principes, quos fortunatiſſimos dicimus, divites ipſi aut fama clari, vel conſpicui dignitatibus, ſeu nimia potentia formidandi videntur tanto plurimum indigere, quanto maiori ſtatu cernimus praepollere. Ad felicitatem itaque nati, donec illam adipiſcimur quieſcere non valemus. Noli itaque mirari vel etiam indignare ſi diem integram cum dulcedine non tranſiſti: ſi quotidie aſperitate quadam urgetur ſuavitas, ſi continuas experiris viciſſitudines inter triſtia, atque laeta. Nulla quidem viae tanta reperitur amoenitas, quae non afferat viatoribus laſ-

ſitu-

ſitudinem. Si neſcis Bernarde mi, peregrinus es, non natus ad viam, ſed ad Patriam: ad quam niſi perveneris, ſemper tecum de incommoditate viae riſſabere. Corruptibile corpus incorruptibilium Societate vix uno momento manere poteſt illaeſum. Aut enim extrinſecum aliqua incommoditate feritur, aut in ſe langueſcit. Properandum igitur in Patriam, ubi non una dies, ſed infinita ſunt ſaecula feliciter tranſigenda. Non invidendum eſt vita defunctis, quod ad illam beatitudinem nos praeceſſerint: ſed gaudendum. Praemiſimus perpetuum Bononiae decus, uniuſcuiuſque virtutis ſpecimen, patrem tuum & doctorem meum, cuius laudes nulla umquam abolebit oblivio; ſed donec ſtudiorum erit Bononia mater, Petri nomen ſuper cunctorum Rhetorum memoriam celebrabitur. Ego autem ſpero Virum innocuum, Virumque catholicum ne dum diuturnam famam habiturum in terris, ſed feliciter fore receptum in caelis. Quid autem de ceteris dicam, quos tanta cum affectione conquereris patriae fuiſſe ſubtractos, niſi quod quum vivi fuerint Nomen Domini venerati, debitam portionem meruerunt recipere exſtincti? Conſolare Fili cariſſime, nec ſic dolori relinquas habenas, ut ultra quod deceat conturberis. Perdidit ſtudium & ſcolarium illa frequentia tantos Principes & Doctores; ſed nunc glorioſiore cum fama quotidie celebrantur. Et denique ſiquid in oculis noſtris videtur eſſe deflendum, conſideremus quali Rectore cuncta tam Supera quam Infera gubernentur, & provideamus aliter deformia dicere, quae ſcimus

illum tantum Opificem ad univerſi pulchritudinem ordinare. Deſine conqueri peſtes, & praeſentem frigoris intemperiem lamentari: nam quum Deo rectore cuncta ſine dubio gubernentur, ſic nobiſcum agitur ut oportet. De me autem, quem iam, licet in mortali ſarcina degam, quaſi mortuum defleviſti, ſcito quod valeam, licet frigoris huius moleſtia iam ter afflictus non leviter aegrotarim. Vale.

XXVIII.

COLUTIUS BERNARDO DE MUGLO.

FIli Cariſſime. Iam pluribus tuis pulſatus Epiſtolis hucuſque circumventus conticui. Non enim libenter tibi non ſcribo, in cuius recordatione clariſſimi Parentis tui celebris eſt inextinguenda memoria, cuius inclytum nomen & glorioſa fama tibi maximum honoris imponit, inexcuſabilemque benefaciendi neceſſitatem. In tanta quidem priſtinae lucis aeſtimatione verſaris; quia ubi aliquem ex te decoctae virtutis florem emittas, omnis illa gloria in ignominiam commutatur; quotienſque de Sanctiſſimi Genitoris tui virtutibus colloquium erit, toties de poſteritatis ignavia ſermo fiet.

Haec hactenus. Spero quidem te poſt prima veſtigia gradientem, quum aetas ſuppetat, indoles adſit, patriaque tua ſtudiis inclyta te undique ad virtutem invitet, quumque maternas monitiones ſis iugiter habiturus, quae

vir-

virtute ſua tibi inſenſibilius facit patris damnum, cunctis virtutibus adhaeſurum: ne tibi diſpendio priſtinum verum nomen & pudori fiat. Nam licet aboleri tanti viri gloria nequeat, celebrior tamen apud aetatem noſtram manebit, vehementiorque tranſibit in poſteros. Sed & lumen tuum de ſui fonte luminis oriatur. Vale felix & mei memor; quumque te amem: fac me diligas.

XXIX.

COLUTIUS CANCELLARIUS FLORENTINUS BERNARDO DE MUGLO.

Fili cariſſime. Vidi laetus litteras tuas primi ſtili gravitatem non mediocriter reddentes, quae ſpem non modicam praebuerunt, ſi perſeveraveris, ſi te ignaviae & ſocordiae non tradideris, paternae famae gloriam in te facile translaturum. Quod ut facias hortor & rogo. Tali quidem ſuperſtite filio, ſi virtutibus ſtudeas, non erit magna ex parte tantus doctor extinctus. Me autem volo veluti praeſentem ad cuncta requiras. Vale.

XXX.

SENENSIBUS.

FRatres Cariſſimi. Vobiſcum fraterne conquerimur, & domeſtice lamentamur, quod cum iamdiu viderimus Petrum Domini Iacobi de Ptolemaeis (1) ſuis ſuggeſtionibus procurare quod illuſtris noſter Frater Dominus . . . . . . Praefectus (2) almae Urbis a Sacrae Ligae corpore deviaret, nos ipſum de hoc debite reprehendiſſemus, ſeque operaturum contrarium adfirmaſſet, tamen ab incepto non deſtitit, donec conceptum ſuum peſtiferum affectum demandavit. Nec contentus commiſſis, ſed peiora malis, & peſſima prioribus cumulando, nunc in Curia Romana moratur contra nos, & honorem noſtrum, & contra totius Ligae ſtatum, ac veſtrae patriae detrimentum, in ſuorum veneneſitate verborum, quorum ſibi, ut noviſtis, ingens eſt copia, ſe cunctis exhibens ma-

(1) Ptolemaei ex nobilibus Senenſium familiis fuerunt, qui adhuc vigent.

(2) Hunc eſſe puto Franciſcum de Vico Romae Praefectum, ipſum ad quem ſcripta eſt Epiſtola ſuperius allata *pag.* 38. quae cum hac convenire videtur, cum in ea lamentetur Colucius quod idem Praefectus pacem cum Eccleſia pertractaret, Sacraeque Ligae fidem frangere cogitaret.

manifeſtiſſimus praedicator, & latenter veſtri ſtatus & noſtri procurando, molitur praecipitium & ruinam. Quocirca Fraternitatem veſtram totis affectibus deprecamur, quatenus, peſtiferis perſuaſionibus ſuis aures modis omnibus denegando, ne in Curia maneat talia vobis & nobis praeiudicialiter tractaturus, dignemini ſalubri conſilio providere. Nec tantillum hominem negligendo deſpiciat veſtra prudentia, quoniam ut in veteri proverbio habetur, praecipitari magnus currus obiectu parviſſimi lapidis conſuevit. Datum Florentiae die prima Ianuarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XXXI.

NOBILIBUS DE PTOLEMAEIS.

NObiles Amici Cariſſimi. Vobiſcum fraterne conquerimur & domeſtice lamentamur, quod qum iamdiu viderimus Petrum Domini Iacobi de Ptolemeis ſuis ſuggeſtionibus procurare quod illuſtris noſter Frater Dominus . . . . . . Praefectus almae Urbis a Sacrae Ligae corpore deviaret, & nos ipſum de hoc debite reprehendiſſemus, ſeque operaturum contrarium adfirmaſſet, tamen ab incepto non deſtitit, donec conceptum ſuum peſtiferum affectum demandavit. Nec contentus commiſſis, ſed peiora malis, & peſſi-

peſſima prioribus cumulando nunc in curia Romana moratur contra nos & honorem noſtrum, & contra totius Ligae ſtatum, ac veſtrae patriae detrimentum in ſuorum venenoſitate verborum, quorum ſibi, ut noviſtis, ingens eſt copia ſe cunctis exhibens manifeſtiſſimus praedicator, & latenter veſtri ſtatus & noſtri procurando, molitur praecipitium & ruinam. Quocirca nobilem dilectionem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus amore noſtri placeat in hoc tale remedium adhibere, quod non poſſit dicere Populus Florentinus, quod unus de ſtirpe veſtra, quam ſuper alias Tuſciae Nobilium domos ſingulari ſemper praerogativa coluit & amavit, aliquid contra Florentinae Reipublicae ſtatum agitet vel attentet. Sufficiat ſibi credulum illum Dominum, cuius in ſervitiis commoratur, ſuis perſuaſionibus impuliſſe a Ligae foedere, quo ſurrexerat ad amplum dominium, declinare. Datum Florentiae die prima Ianuarii Indictione prima MCCCLXXVII.

PE-

XXXII.

PERUSINIS.

PAtres Honorandi. Recepit quilibet noſtrum litteram magnificentiae veſtrae, ampliſſimum quidem privilegium noſtrarum perſonarum & ſucceſſorum noſtrorum, quibus nos veſtra Civitate donatos, numero veſtrorum Civium honorabiliter aggregatis, quod non obſtante Civilitate huiuſmodi, & quamvis nos & noſtri poſteri non fuerimus militiae cingulo decorati, ad veſtrae regimina Civitatis poſſumus adſumi, ac delationem armorum nobis cum duobus ſociis concedendo, & quod habitu triumphali in veſtro debeamus pingi palatio decreviſtis, nos in magnorum verborum ſplendore variis honorum titulis maieſtando: in quibus etiam ſi noſtra praeceſſiſſent merita, veſtrae magnificentiae tamen ingens a nobis gratia, maximaque a cunctis vobis gloria deberetur. Quid autem praedicabilius apud omnes, quid glorioſius, quam populum beneficiorum memorem digna pro receptis praemia compenſare? Quid eſſe poteſt apud honoratos acceptius, quam in receptione praemii benegeſtorum ſuorum audire merita cum fulgore ſui nominis celebrari? Sed quod haec omnia ex ſola veſtrae magnificentiae benignitate novimus proceſſiſſe occaſionem oſtendendae gratitudinis requirente, omnem nobis referendae gratiae facultatem veſtra munificentia procluſiſtis.

ſiſtis. Quod quantumcumque ſit, quia tamen cuilibet ſatis eſt exhibere quod poteſt, omni mentis affectu, toto corde, tota anima, & totis viribus quanto pleniora poſſumus debita ſolvimus impendia gratiarum; ſperantes ſupernum Dei Numen, apud quod nec impunita malefacta remanent, nec bona ſine praemio negliguntur, illud, quod ex impotentia defuit, ſuppleturum. Datum Florentiae die IIII. Ianuarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XXXIII.

VICECOMITI TURONENSI. (1)

EXcellens atque Generoſiſſime Domine metuende. Relatione nobilis Viri Domini Perini de Grimaldis (2) dilectiſſimi concivis noſtri laetanter accepimus Excellentiam veſtram ardenter optare, quod cum Apoſtolici culminis ſanctitate humilitatis noſtrae devotio componatur, in hoc tam commendando negotio veſtrae dominabilis intercceſſionis operam

ram

(1) Guilelmus Rogerius Filius Guilelmi Rogerii Comitis Bellofortis, Gregorii XI. Pontificis Maximi germanus.

(2) Perinum hunc, ex nobili familia Genuenſi de Grimaldis, illum ipſum eſſe arbitror, qui conductus eſt a Florentinis an. 1362. quum in Piſanos arma moverunt; & tunc fortaſſe ob res bene geſtas Florentina Civitate donatus eſt. Ex Familia Grimaldia alius, Lucas ſcilicet, Civitate donatus legitur apud Admiratum Hiſt. Flor. lib. 14.

ram offerendo. Quod humaniſſimae mentis propoſitum digno ſatis non poſſumus laudum praeconio celebrare. Quid enim optabilius, quid melius poſſet veſtra Dominatio procurare, quam ſublato bellorum turbine pacificare Italiam, & nos Eccleſiae Romanae devotiſſimos filios in ſinu benevolentiae Sedis Apoſtolicae relocare? Et quoniam qui ineunt pacis conſilia ſequitur eos gaudium, non vos paeniteat hunc ſanctum mentis habitum induiſſe, ſed in eo quotidie vobis creſcat affectio, & veſtrae excellentiae claritas confirmetur. Oh quantum honoris & gloriae ſplendori veſtri nominis adiungetur; ſi dederit Deus per manus veſtras tam acerrimum bellum in pacis dulcedinem commutari! Quis non adeundus labor, quae non ſubeunda pericula, ut ad glorioſum effectum tam commendabilis operae veniatur? Addatur quod Sanctiſſimus Pater & Dominus noſter, Dominus Summus Pontifex, Claritatis veſtrae Germanus ad preces veſtras, tum propter carnis neceſſitudinem, tum propter glorioſiſſimi veſtri Praetoris altitudinem atque prudentiam facilius inflectetur; ut quum poſſit ad hoc ſola gloria ceteros Principes imitari, vos & futurae gloriae ſplendor, & efficiendae rei facilitas ad tantum bonum debeat propenſius animare. Nos autem qui non ambitione dominii, non intentione offendendi, non acquirendi cupidine, ſed neceſſitate defendendae libertatis noſtrae in hoc tam diſplicibile bellum incidimus, nos ad pacem diſpoſitos, & per manus veſtras; quod ſumme deſideraremus, & per medium alterius cuiu-

ſcumque prius ipſam invenire poterimus, oſtendemus; vos & claritatem veſtram totis affectibus deprecantes, quatenus circa hoc vos interponere non tardetis. Praeveniat magnificentia veſtra cunctos, qui intercedere ſatagunt mediatores; ut, quod rariſſimum nobis erit, Populus iſte & tota Italia in Apoſtolicae clementiae humanitate pacem inveniat, & interceſſione veſtri tantum donum ab alio ſanguine minime recognoſcat. Datum Florentiae die v. Ianuarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XXXIV.

COLLIGATIS.

NE forſan quae geſta ſunt per Oratores noſtros cum Magnifico Fratre noſtro Domino Bernabove contingat vobis mendacis famae praeconio contra veritatis terminos nuntiari: noveritis Sanctiſſimum Patrem & Dominum Summum Pontificem ad praefatum Dominum Bernabovem ſuos ſpeciales Nuntios direxiſſe, ſuggerendo, quod paratus erat per manus ſuas ad pacem cum ipſo nobiſcum, & cum omnibus colligatis, & ad bonam concordiam devenire. Et per oratores noſtros fuit reſponſum; & alios Colligatos paratos eſſe ſimiliter verſa vice (1). Ipſe autem Do-

(1) Anno 1377. exeunte tot tantiſque bellis finem imponere cupiens Summus Pontifex Urbinatenſem Epiſcopum Oratorem Florentiam mi-

Dominus Bernabos multis reſpectibus ſe in hoc tamquam mediatorem ingerere renuebat; ſed tandem victus precibus Oratorum noſtrorum hoc onus aſſumpſit, & commiſſionem ſibi oblatam pro parte Summi Pontificis acceptavit: moxque ſcripſit Apoſtolicae Sanctitati, quod ſuper aſſumptione talis tractatus ſuos dignaretur commiſſarios deſtinare, cuius reſponſio iam reverſis noſtris oratoribus expectatur. De quo quicquid ſequetur caritati veſtrae curabimus intimare, denuntiantes vobis noſtrae fore intentionis, noſtrique propoſiti nihil agere ſine vobis, & quod Colligatis omnibus quicquid tractabitur pateſiat. Datum Florentiae die XXIX. Ian. MCCCLXXVII.

CHO-

miſit, Florentinis per eum proponens ad pacem componendam arbitrum Bernabovem eorum colligatum. Convenerunt Florentini, Legatique hac de cauſſa ad Bernabovem miſſi ſunt, qui Serezanum illum perduxerunt, quo & Cardinalis Otho Bruniſincenſis Pontificis Legatus adpulerat. Eoque Francorum Regis, Ioannae Reginae, Venetorumque Oratores ad hanc pacem firmandam convenerunt. Pog. Hiſt. lib. 2. pag. 75.

XXV.

CHOCHO. (1)

NObilis Amice cariſſime. Diſplicenter audivimus, quod de brigata veſtra, ſeptima praeſentis menſis, de nocte, equitaverunt ultra quam quinquaginta Sachomanni ad locum ubi dicitur *Corliano*, & inſultu facto contra homines ibidem commorantes, pluribus vulneratis, omnes domos ipſorum poſuerunt ad praedam, & exinde plures beſtias groſſas, & minutas, pannos, & alia, quaſi de finibus hoſtium reduxerunt; quae ſcimus contra veſtram voluntatem & intentionem proculdubio perpetrari. Sed tamen niſi in hoc remedium apponatur in poſterum, & niſi reſtitutioni damnorum noſtrorum ſubditorum realiter provideatur, haec in maximum dedecus Magnifici Fratris noſtri Domini Bernabovis, & veſtri noſcitur redundare: ea propter vos affectuoſiſſime deprecamur, quatenus placeat taliter ordinare, quod veſtrae gentes ire ad ſaccum, ut inceperunt, ulterius non ſinatis, fa-

(1) Chochus natione Anglus, qui in bello a Piſanis cum Florentinis habito an. 1364. ob res ab eo bene geſtas equeſtri dignitate eſt inſignitus. Adhaerebat autem in hoc bello Piſanorum partibus ſub Duce Anglorum Ioanne Haucud, ut videre eſt apud Ammir. Hiſt. Flor. lib. 12.

faciendo recepta damna taliter reſarcire, & talem punitionem contra praedictos; quod ſicut tenemus oſtendatis haec vobis non minus, quam nobis realiter diſplicere. Datum Florentiae die VIII. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XXXVI.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

MAgnifice miles, Amice cariſſime. His diebus, prout alias ſcripſimus, aliqua Anglicorum brigata de nocte equitavit ad ſaccum ad unam villam, quae dicitur *Corliatum*, & ibi pluribus ineptiſſime vulneratis, praedas boum, pecudum, & pannorum, & omnium rerum hoſtiliter rapuerunt, & quotidie ſimilia moliuntur, & in terris etiam multa inhoneſta & diſplicibilia perpetrant, & attentant. Scimus haec vobis non minus quam nobis etiam cordialiter diſplicere; & quod turbarent Magnificum Fratrem noſtrum Dominum Bernabovem, ſi iſta perciperet, longe pluſquam ſi in ſuis ſubditis contigiſſent. Breviter ſumma omnium eſt, quod ſi per vos celeriter remedium non ponatur maximum ſcandalum orietur. Et ob id veſtram nobilitatem requirimus & rogamus, quatenus omnibus omiſſis ad partes iſtas ſubito redeatis. Quoniam veſtra praeſentia cuncta diriget, & omnia ſalubriter reformabit, componendo praeſentia, & futuris conſueta prudentia providendo. Salvum

conductum, quem per litteras veſtras datas die VIII. praeſentis menſis ſcribitis vos non habuiſſe, credimus iam vos infallibiliter accepiſſe. Pro Deo venite, & ſine dilatione venite. Datum Florentiae die x. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XXXVII.

DOMINO GUGLIELMO VICECOMITI TURENNAE.

EXſcellens, atque glorioſiſſime Domine metuende. Gratioſiſſimas litteras veſtras maxima nuper conſolatione recepimus, quibus Excellentia veſtra nobis inſinuat, quod abundantia noſtrae humilitatis attenta, ut Italia, Patria, & habitantes in eadem, poſſint in tranquillitate & pacis concordia permanere vos eſſe paratum, ſervato tamen honore Domini noſtri Summi Pontificis, & Sanctae Romanae Eccleſiae, circa huiuſmodi pacis negotium praeſtare pro viribus operam efficacem. De qua tam liberali & tam prompta oblatione dignas rependere gratias non valemus. Sed quoniam, ut in ſacris litteris legitur, qui ineunt pacis conſilia ſequitur eos gaudium; ſperamus pium & miſericordem Deum, cuius timor replet pacem & ſalutis fructum, digna vobis praemia redditurum. Nos autem quanta

ta poſſumus efficacia, pleniſſimas gratiarum referimus actiones; claritatem veſtram toto corde, tota mente, totis viribus, & ex tota anima noſtra ſuppliciter exorantes, quatenus pro honore Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri Domini Summi Pontificis, & pro exaltatione Sanctae Matris Eccleſiae circa hoc dignemini poſt tam vehementem diſpoſitionem, iuxta veſtrarum litterarum tenorem indefeſſis animis operari. Non terreat magnitudinem veſtram labor. Nolite propter difficultatem aliquam deſperare. Erit quidem vobiſcum Deus, qui ſolus aſpera plana reddit, & quum inter patrem & filios debeat Dominatio veſtra metuenda verſari, quomodo negabit vobis Sanctiſſimus Pater noſter, ſecundum carnem vobis germanus, & ſecundum Apoſtolatus apicem vobis Pater & nobis, quicquid pro pace volueritis eum facturum? Quomodo poterit noſtra devotio ad pacem tota mente diſpoſita conſenſum honeſtis veſtris petitionibus denegare? Habetis inde benignum Patrem, hinc devotos filios, qui per tale medium inquirent pacem & ſequentur eam. Eia ergo, Domine metuende, rumpite moras, & in gloria tam ingentis tituli cunctos qui hunc honorem praeoccupare conantur, ſicut alias ſcripſimus, praevenite. Nos enim adeo ad pacem diſpoſiti ſumus, quod per quemcumque, & quamcumque concordiam habere poterimus, pacem, non expectantes ulterius, concludemus. Ceterum petit veſtra Sublimitas, quod in quibus terminis remanſimus in habitis abhinc retro tractatibus vobis debeamus, & ad quem finem

tendimus; intimare. (1) Cui particulae breviter reſpondemus; quod hoc negotium tam arduum eſt, & tanta hinc inde tum difficultate tum ſubtilitate diſcuſſum, quod non poſſet exprimi per ſcripturam. Quin etiam longum eſt iter, & periculis plenum, & maximum eſſet utrique parti diſpendium, quae in hoc agitata ſunt ad aliorum notitiam devenire. Sed quum, prout ſcripſit nobis nobilis vir concivis noſter dilectus Dominus Perinus Grimaldus, veſtra debeat ad Portum Piſanum dominatio declinare, ad locum illum noſtros Oratores ſolemniſſimos tranſmittemus, per quos curabimus quantum petitis veſtram Excellentiam informare. Deus cunctarum rerum mirabilis Opifex det vobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in manibus veſtris; ut det Dominus noſter Papa virtutem populo ſuo, & benedicat populo ſuo in pace. Datum Florentiae die XXI. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

DO-

(1) Plures enim pacis tractatus habiti ſunt. Tertio ſiquidem a Florentinis pacis firmandae gratia Legati ad Pontificem miſſi ſunt; Ipſe autem Pontifex Petrum Gambacurtam Piſarum Dominum hac ipſa de cauſa Florentiam miſit. Verum, quidquid in his tractatibus factum ſit, quiſque ſemper infecto negotio in Patriam reverſus eſt.

XXXVIII.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

MAgnifice atque Egregie miles, Amice Cariſſime. Scribimus magnifico fratri noſtro Domino Bernabovi, quod dignetur pecuniam pro ſolutione Anglicorum & Britonum deſtinare. Et quoniam veſtram ſcimus in hoc aſſiſtentiam profuturam, vos affectuoſiſſime deprecamur, quatenus placeat circa hoc favorabiliter operari. Ceterum quod propter veſtram abſentiam difficile videtur conſignationem Anglicorum poſſe fieri, & etiam quae inordinate ſine capite manent, & praeſentia veſtra cuncta, quae minus digeſte procederent laudabiliter ordinabit, veſtram nobilitatem rogamus, quatenus vos pro cunctis quanto citius fieri poterit expedire. Et circa factum (1) Roggeri . . . & ſociorum in exonerationem veſtram cum praefato magnifico Domino quantum expedit confirmetis. Datum Florentiae. Die v. Ianuarii prima Indictione MCCCLXXVII.

(1) Forſitan eſt *Roggerius Canis* de quo pluribus in locis mentionem fecimus.

XXXIX.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

MAgnifice miles, amice cariſſime. Sicut alias vobis ſcripſimus propter directionem gentium veſtrarum praeſentia veſtra multipliciter indigemus. Nunc autem quum gentes Eccleſiae in potentiſſimo brachio territorio Senenſium appropinquaverint, (1) & quotidie, tam ipſos quam alios noſtros colligatos invadant hoſtiliter & offendant; quumque fuerint, ut ſcitis praefatae gentes in adeo ſtricto loco locatae, (2) quod propter ſtraminis & aliarum rerum inopiam oporteat ipſas praeſentialiter commutare, de hoc tanta neceſſitas imminet, quod abſque veſtra perſona gentes ipſas ſicut oportet ordinare non poſſumus, & ad Sociorum deſtinare ſubſidia non valemus; & ex hoc, rebus ſic ſtantibus, multa poſſent vobis &

1) Fortaſſe loquitur heic Coluccius de Ramundo Pontificis nepote, qui ut ait Pog. Hiſt. lib. 2. *cum parte exercitus per agrum Senenſem maritimum venit, caſtriſque, poſitis Groſſetum, quod praeſidio valido tenebatur, diutius oppugnavit. Verum cum Augutum, auxilio illi adventare praeſenſiſſet, tanti Ducis timore motus, relicta oppugnatione, retrocedens ex Senenſium finibus diſceſſit.*

(2) Anglicae gentes, quae Duci Ioanni Haucud parebant apud MontemPolitianum caſtra poſuerant, ut videre eſt in Epiſtola ſuperius allata pag. 68.

& nobis diſplicibilia provenire. Quocirca nobilitatem veſtram requirimus & rogamus, quatenus ſine ulterioris morae diſpendio ad ipſarum gentium gubernationem & regimen placeat vos conferre; ut vobiſcum una, quae ſint noſtri honoris & totius Ligae ſtatui poſſimus mature conſulere, & ad effectum veſtris cum favoribus demandare. Datum Florentiae die XXI. Ianuarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XL.

SENENSIBUS CONTRA MAGISTRUM GABRIELEM DE VULTERRIS. (1)

FRatres Cariſſimi. Cogimur quae ad veſtri ſtatus columen pertinent, quaeve poſſent deducere noſtrum regimen in ruinam vobis fraterna caritate ſuggerere, ut poſſitis paratis periculis, opportunis remediis obviare. Novimus itaque Venerabilem Virum Fratrem Gabrielem Sacrae Theologiae Magiſtrum, & Provincialem Miniſtrum Ordinis Minorum, ſub ſui praetextu officii, apud vos inſidioſe verſari, ut in melliflui ſermoni

(1) De F. Gabriele de Vulterris haec habet VVad. in annalibus Minorum ad annum Chriſti 1376. *Fr. Gabriel Volaterranus Provinciae Tuſciae Cuſtodiae Senenſis, Vir venerabilis, & doctus qui praedictam Provinciam annis novem gubernavit, & Inquiſitorem egit haereticae pravitatis.*

nis dulcedine, quo plurimum valet, moveat ſimplices, prudentes decipiat, & maleconten-tos accendat ad ea, quae veſtrum ſtatum prae-cipitent & ſubvertant. Et hoc non ſine cauſ-ſa ſcribimus, nec ab in fide digno vana rela-tione ſentimus. Et ſi liceret, quicquid de hoc, manu tetigimus, propalare, in maximam ad-mirationem atque formidinem ſenſus veſtra-rum mentium moverentur. Quocirca, quum talem virum tamquam potentis eloquii, & talia cogitantem periculoſiſſimum ſit intra ve-ſtra moenia retinere, Fraternitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus eumdem placeat ſine alicuius morae diſpendio, in qua verſatur non mediocre periculum, a veſtris fi-nibus prohibere; ne lupus intra ovile clau-ſus pecoris exitium mente conceptum dedu-cat praeiudicialiter ad effectum. Datum Flo-rentiae die XII. Februarii prima Indictione, MCCCLXXVII.

EPI-

XLI.

EPISTOLA COLUCII CANCELLARII FLORENTINORUM.

FRater cariſſime. Saepe numero mecum reputans, quod & tibimet memini me verbotenus communicaſſe, admiratus ſum illam vulgarem opinionem, Senecam Ethicum Neronis praeceptorem, collocutorem Pauli (1) Tragoediarum auctorem fuiſſe: nec temere aſſentiendum vulgo arbitror, apud quod didicit ſaepius fama mentiri: adeoque ſi quis Virgilium in Amaſiae ſuae calatho tractum per feneſtram minime pependiſſe contendat, & de eiusdem mulieris tentigine neget adhibitis facibus magicum eſſe factum incendium, mendax ignaruſque ab omnibus reputetur. Idem vulgus Ariſtotelem equitatoriae ſellae dorſum, lupatisque ora praebuiſſe confirmat: dum puellae,

(1) Honorius Auguſtod. Senecam D. Pauli collocutorem fuiſſe his verbis aſſerit *L. Annaeus Seneca Condubenſis Fotini Stoici diſcipulus, & patruus Lucani Poetae ſcripſit quaſdam Epiſtolas ad Paulum Apoſtolum; & Apoſtolus quaſdam reſcripſit*. Epiſtolae a Seneca D. Paulo ſcriptae octo, D. Pauli ad Senecam ſex numerantur, quarum meminit D. Auguſtinus, & Hieronymus & Linus Pontifex, quae tamen omnes doctorum virorum judicio ſpuriae ſunt. Vid. Fabric. Bibl. Lat. tom. 1. & Lipſium in Senecam.

lae dilectae exhibet ſe vectorem. Quae quam vera ſint, non dicam veriſimilia, tu noviſti. Ea propter plus apud me valebit ratio, quam vulgare proloquium. Poſtquam enim Tragoediarum mihi lepor innotuit, admodum ſtili dulcedine delectatus, de Sententiarum pondere praeſumebam, & illum Annaeum Senecam illarum auctorem fuiſſe mihi facile perſuadebam. Habet enim hoc proprium communis opinio, ut ea mentes hominum celeriter imbuantur]. Adeſt Boetius de Scholaſtica diſciplina, qui eo loco, in quo Poetarum libros commemorat, inquit Virgilii prolixitas, Statii Urbanitas, Senecae Tragoedia &c., non enim recolo textum in forma, quibus textibus cum ſe fama tueatur, iam memini me paene veniſſe in dubium praefatum, Senecam fuiſſe Tragoediarum auctorem. Quod adeo inolevit, ut non ſolum ignari, ſed etiam prudentes, & harum rerum ſtudioſiſſimi hoc tenaciter affirment; quod etiam in Epiſtola ad Senecam ille ſaeculi noſtri decus Franciſcus ſentire videtur. Et quod magis admiror eumdem Senecam auctorem Tragoediae Octaviae profitetur. Ego vero quum diu de ceteris dubitarim, eaeque longe a ſtilo Senecae viderentur extraneae, Octaviam poſt eius fata compoſitam certiſſime obiectabam. Quis enim alicuius Tragoediae auctor, quae aliorum geſta commemorat, in eadem loquentem magnifice ſe introducat? Revolve precor Octaviam, ubi tam moralia, tamque audacia verba reperies, quam ea, quae Senecam irato etiam Principi fabula retuliſſe comme

memorat? Quid plura? Nonne Neronis exitus in Octavia, ubi Agrippina ab inferis accerſitur, plane, prout accidit, recitatur? Quae praemoriens Seneca nec vidit, nec, ſi humanam prudentiam contemplemur, potuit divinare. Legimus ſiquidem, teſte Suetonio pro Praetore Iulio, Vindice conſpirante a Nerone primum Galbam defeciſſe, deinde ceteros idem ſecutos exercitus, mox amicos omnes eundem reliquiſſe, poſtquam a Senatu hoſtis iudicatus ad mortem damnatus eſt, ut . . . . ad necem virgis caederetur; utque aliqui volunt, de Saxo Palatii praecipitaretur: quae fere omnia in Octavia ſunt deſcripta; & tamen ea nemo negat poſt Senecae obitum accidiſſe. Quae ipſum tam expreſſe praeciniſſe, ſaltem *verbera, & turpem fugam* (1) monſtrum eſt, & veri non ſimile, ut iam eum non Moralem, non Poetam, ſed Divinum, Prophetamque appellare poſſimus: cetera namque dimittimus, ubi inquit *deſertus & deſtructus ac cunctis egens*, quae eumdem Neronem Mathematicorum praedictionibus didiciſſe comperimus: Denique mirum eſt, quum vero propius ſit Senecam adhuc iuvenem Tragoedias debuiſſe conſcribere, in tot librorum ſuorum voluminibus, quos provectiori aetate compoſuit, ex hoc divino opere nullum uſquam verſiculum recitaſſe, nec praetereundo . . . Cenſuit,

(1) Hoſtis enim a Senatu iudicatus, & ad paenam quaeſitus ad Phaontis ſuburbanum confugit, in quod, ut clam introivit, equus per effoſſae cavernae anguſtias receptus eſt.

ſeo, quod cum Seneca ad eligendum mortem Nero compulerit, ſi inter libellos eiusdem Octavia fuiſſet reperta, metu Caeſaris, atque iubente Senatu prorſus fuiſſet deleta. Quae cum ita conveniant, & idem Octaviae & ceterarum auctor eſſe putetur, mihi facile perſuaſi, illum Senecam Tragoedias non ſcripſiſſe. (1) Inveni ſiquidem in gloſſa, quam in Annaeo Floro perlegi, fuiſſe Lucium Annaeum Senecam, & Lucium Annaeum Melam germanum ſuum, ac Marcum Annaeum Lucanum Poetam dicti Melae filium, quibus forte propter Senatorii candidatus honorem, quo Lucius Seneca ſuis proluxiſſe refertur, & Senecae fuit exhibitum cognomentum, aut ex Lucii Annaei nominibus, quibus Seneca & Mela communiter notabantur, non duo, ſed unus apud poſteros reputati. Quidquid fuerit, id mihi certum non eſt, habeo teſtem aſſiduum atque opulentum Sidonium, veluti qui in verſibus ſuis in capitulo, qui incipit *Dic dic quod peto magne dic amabo felix nomine &c.* manifeſte teſtatur alium fuiſſe Tragoediarum ſcriptorem, quam monitorem Neronis. Dum enim quodam diſcurſu Poetico in libello ſuo multa legenda negaret, poſt plura ſic inquit: *Non quod Corduba praepotens alumnis facundum ciet, hic putes legendum: quorum unus colit hiſpidum Platona, incaſſumque ſuum monet Neronem. Orcheſtram quatit alter Euripidis Pictum fecibus Eſchylon ſecutus, aut plauſtris ſolitum reſonare Theſpin, qui poſt pulpita* tri-

(1) Conſule Fabricium Bibl. Lat. t. 1.

trita ſub cotburno ducebant olidae marem Capellae. Pugnam tertius ille Gallicani duxit Caeſaris, ut ſocer generque cognata impulerint in arma Romam, &c. Quos verſiculos nuper a me lectos appoſui, quia comuniter ille liber non habetur, & ut tute ipſe conſideres, ſi negari poteſt illum de alio, quam de Monitore Neronis Seneca cogitaſſe. Frangit me tamen multum Petrarchae noſtri Sententia. Ea propter te rogatum velim, quatenus ſi quod habeas aliud, quo certius auctor tanti operis deſignetur, tuo mihi ſuaviſſimo ſtilo promas. Me inſcio quartanae febris typo infirmatus es, audivi tamen, te propemodum liberatum, de quo illi ſummo Deo, cuius nos opificium ſumus, laus & gloria ſit perennis. Vale felix, qui talem collocutorem, qualis eſt frater Dominicus de Peccioli, meruiſti. Lucae Idibus Octobris, &c.

SE-

XLII.

SENENSIBUS CONTRA MAGISTRUM GABRIELEM DE VULTERRIS.

FRatres cariſſimi. Pridie vobis ſcripſimus quae per Miniſtrum Provincialem Ordinis Minorum contra veſtri ſtatus praecipitium tentabantur, vos ad eius expulſionem fraternis affectibus exhortando. Cui quamvis diſceſſum iniungi feceritis, adhuc tamen, ſicut iuſſum exſtitit, non abivit; ſed pro viribus nititur, praecepto in irritum poſito, remanere. Nolite decipi in ſui rotunditate ſermonis. Scimus enim ipſum ambire ſingulos, adloqui cunctos, ſeque conſtantiſſime & tenaciter confirmare; nihil vobis nocivum quaerere, nihilque niſi veſtri ſtatus & honoris in animo cogitare. Si fidem ſibi dederitis, immo ſi ſolum praebueritis eidem auditum, credite nobis quod ſicut de Syrenis habetur in fabulis, melliflui ſui oris dulcedine vos decipiet, & deducet quaſi ſuis cantibus in ſoporem, & demum ſopitos in caudarum mucronibus percutiet, & extinguet. Eiicite perfidioſum hominem, quique vobiſcum elegit habitare, ut vos opprimat & confundat, cuiuſque mores & propoſitum, etiamſi nihil attentare putetur, ſubſpectui debent eſſe vobis, atque formidini. Et quoniam ſecum habet Fratrem . . . . . . de Florentia ſuorum ſcelerum complicem & ſequacem, &

de

de noſtra urbe nuper turpiſſime transfugam, cogere dignemini ſimul & iſtum cum illo ſuo praeſule permigrare; ut tali metu vacui inſidiarum, quae vobis parantur pericula devitetis. Datum Florentiae die XXII. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XLIII.

PERUSINIS.

FRatres Cariſſimi. Audivimus poſt tot & tantos cives, quos contra Patriam pro quiete publica veſtra pridie circumſpectio deſtinavit, vos alios in copioſiore numero ad certos limites repulſuros; quod quantumcumque certi ſimus ex ſolo libertatis & Reipublicae ſtudio provenire, (1) tamen hoc periculoſiſſimum

(1) Ideo enim exulabantur quidem ex Peruſinis civibus, quod in Patriae libertatem coniuraſſent. De his ſic Pellinius Peruſinae Hiſtoriae part. I. pag. 1197. *nel meſe di Febbraio congregatoſi un General conſiglio in Perugia, fu in preſenza di molto popolo manifeſtato il trattato, che avevano ordito li Nobili per rimuovere il governo dalle mani de' Raſpanti, e del popolo, e dicono, che vi fu publicamente eſpoſto; che il Conte Ugolino della Corbara con alcuni altri Capitani, ed amici della Chieſa, dovevano a un determinato, e preſiſſo tempo venire nel territorio di Perugia, e coll' aiuto de' nobili cacciarſi nella Città ec.* Hac itaque de cauſa cives pluſquam quinquaginta in exilium miſſi ſunt, totidemque pecunia mulctati.

mum nobis eſſe videtur, & ſtatui veſtro populari nec conveniens, nec honeſtum, cuius eſt non aliquorum, ſed prorſus omnium utilitati conſulere, & quod omnes libertatis fruantur beneficio providere. Siquis enim timor novandarum rerum vos in veſtri ſtatus initio perterrebat, ſatis, credite nobis, abunde ſecuritati veſtrae proviſum fuit, illos, qui credebantur futuri novitatum principes, proſcripſiſſe. Non ſunt temporibus noſtris tantae patientiae Cives, quod haec pro ſalute patriae noverint aequis animis ſupportare. Olim Camillus, & Scipio exilia etiam iniuſta patientiſſime tolerarunt. Huius virtutis Viri illo priſco ſaeculo etiam pauciſſimi claruerunt: hac noſtra aetate nedum gravibus, ſed leviſſimis cauſis infeſtiſſimos in patriam videmus cives inſurgere. Didicerunt omnes Coriolanum imitari, qui exſul, ſe ad populi Romani conferens inimicos, hoſtium Dux, factus validiſſimum exercitum oppreſſurum Urbem, niſi maternae lacrimae vetuiſſent, Romam advexit. Cuncti quaerunt exemplo Marii procurare reditum etiam patriae cum ruina. Videtis circumvolitare armatum & potentiſſimum hoſtem, quem ſola populorum diſcordia ſpe maxima fovet. Circuit iſte cunctos ut deveret; expectat ruinam omnium ut conculcet. Parcite, optimi viri, parcite precamur civibus, & ab hoc proſcribendi propoſito veſtros animos removete. Benignitate opus eſt, ut ſtatum veſtrum in ſolido collocetis; ut non fiat formidoloſus civibus, ſed ſuavis; quoniam in ſola benigne regendi dulcedine poteſtis ſtatum veſtrum cum benevolentia civium ſtabilire.

Da-

Datum Florentiae die XXI. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XLIV.

SENENSIBUS.

FRatres Cariſſimi. Miramur ſatis, immo ultra quam dici valeat admiramur, quod quum toties cumulatis litteris nos non ſolum inſtanter, ſed etiam importune de ſubſidiis requiratis, Anglicorum invictam manum, quae pro libertate patriae tot iam ſumptibus fuit conducta pro defenſione veſtra in tot periculis, quot nobis imminent, quotque quotidie ſcribitis recipere, denegetis. Nec Scimus quomodo poſſit haec peſtis a veſtris finibus removeri, niſi tantae vires hoſtibus opponantur, quod perterriti fugiant, & noſtrarum gentium metu perculſi veſtrum territorium derelinquant. Dicite Fratres Cariſſimi, eſtne melius inſultus hoſtiles cum capturis, & depraedationibus, incendiis, & terrarum expugnationibus tolerare, quam cum aliquali incommodo validiſſimum defenſorum praeſidium acceptare? Quocirca Fratres optimi, ut conqueri deſinatis, ut parata poſſitis pericula devitare, ut hoſte perpulſo bellum, quod nunc veſtris gerit in finibus aemuli in ſuo territorio patiantur, dignemini gentes iſtas benigne recipere, & etiam ſicut oportet & ſolet ipſas ad veſtra ſervitia impenſis beneficiis obligare. Datum Florentiae die XXV. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

XLV.

PERUSINIS.

Ut abſtineant a confinando cives ſuos.

FRatres Cariſſimi. Quotidie increbreſcit rumor, & multis ex partibus magna nobis diſplicentia nuntiatur, vos adhuc in confinandi propoſito perdurare, in quo veſtri ſtatus ruinam manifeſte videmus: & qui debetis in animi magnitudine non in timore populi veſtri dominium confirmare, hac formidine, cuncta ipſius fundamenta labefactatis; & quum deberetis eſſe & vos oſtendere ſine trepidatione ſecuros, ut confirmentur puſillanimes, & qui mala vobis deſiderant teneantur, hos in ſpem erigitis, & illos in pavore ſuo cogitis conſternari. Dicite, Fratres optimi, quis eſt in civitate veſtra tantae dementiae, tamque mentis inops atque conſilii, qui regimen conſenſu tantae multitudinis inſtitutum, tantorumque civium tum prudentia, tum robore circumfultum audeat vel cogitet immutare? Vane timetis, Fratres cariſſimi. Nolite eſſe in exitium veſtrae Reipublicae timidi, vel nimium furioſi. Et quoniam hoſtis armatus heinc inde circumvolans (1) quaerit quem devoret,

(1) Eccleſiae exercitus totus in Peruſinorum territorium ſe contulit, adeo ut in Peruſinos tantum mo-

ret, cavete ne inter haec inteſtina diſſidia hoſtis proximum invaleſcat. Dimittite hoc civile certamen, & gentes veſtras, quas ſcimus equitare non poſſe, per ſolutiones ſtipendiorum equitabiles facitote. Quin etiam quum inſtet blandum tempus veris, in quo poteſt commode bellum geri, vos maiori gentium numero curate reddere fortiores. Ceterum magnificum militem Dominum Ioannem Haucud cum tota vel maiori Anglicorum parte ad veſtras partes praeſentialiter pro veſtra & aliorum defenſione intendimus deſtinare: & ob id dignemini circa ipſorum collocationem, & victualia talem proviſionem adponere, quod fructum defenſionis optatae per ipſos poſſitis habere; & ut ipſae gentes ad ordinanda per vos loca citius perducant, unum veſtrum civem placeat huc ſine morae diſpendio delegare. Datum Florentiae die XXVI. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

modo bellum gerendum videretur. Quod tamen factum non eſt; pars enim ſtetit, pars Senas verſus, pars huc, pars illuc praeter ſpem repente divertit.

XLVI.

PERUSINIS THOMAS ET ANDREAS. (1)

MAgnifici Domini Patres noſtri, & Domini ſingulariſſimi. Recepimus equos nobis per veſtram magnificentiam deſtinatos. In quorum tam liberali dono, licet ſit donum quocumque Principe dignum, nec nos deceret tantae donationis impendio munerari, tamen longe magis intentionem mittentium magni pendimus, & affectum. Et quoniam in nobis beneficia quotidie cumulatis, nunc nos cum ingenti privilegio veſtrae Civitatis honore donando, nunc mirificis ornando laudibus, nunc in noſtram memoriam monimenta picturarum in loco celebri decernendo,

(1) Erant hi Thomas Strozzius, & Andreas Salviatus duo, ex Octoviris, qui toti ſacrae Ligae praeſidebant: praeter hos duos ceteri fuerunt Alexander Bardius, Ioannes Dinius, Ioannes Magalottius, Guccius Guccius, Mathaeus Soldius, & Ioannes Simeonis, qui & Octo Sancti ſunt adpellati. Heic autem adnotatum velim, quod Thomas Strozzius, & Andreas Salviatus iidem ſunt, qui & nominantur in Epiſt. XIX. ad Fulginates & in XX. ad Conradum de Trinciis.

do , (1) & demum tantis quanta vix potuiſſet

I 3 diu-

(1) Ad illuſtrationem huius Epiſtolae, & alterius allatae *pag.* 107. ſatius ducimus quaedam afferre, quae Hiſtoriae Peruſinae lib. 9. apud Pellinium habentur eaque ſunt . . . . . *E perchè i Magiſtrati ſi ſentivano grandemente obbligati alli Signori Otto della Balìa di Fiorenza, fu in queſto iſteſſo conſiglio riſoluto che detti Signori Otto con tutti i loro deſcendenti per linea maſculina in perpetuo foſſero Cittadini della Città di Perugia, e come tali foſſero tenuti, e reputati con tutti quei Privilegi, ed eſenzioni, ed immunità, che ſogliono avere gli altri Cittadini Originari di queſta Città, e con queſto Privilegio in particolare che quando avveniſſe, o che eſſi, o alcuni de' loro poſteri foſſe ſtato eletto, o per Podeſtà, o per Capitano del Popolo di Perugia, e non foſſe per avventura nè Cavaliere, nè Conte, come era neceſſario che foſſero tutti gli Podeſtà, e Capitani del Popolo in que' tempi, poteſſero eſſi ſenza quella dignità, e titolo, all' uno, ed all' altro officio per grazia ſpeziale eſſer commeſſi, ed oltre a ciò ordinarono, che eſſendoſi per l' addietro vinto, e deliberato, che ſi doveſſe dipingere, e iſtoriare la ſala maggiore del Palazzo de' Signori Priori, dove ſolevano in quei tempi farſi i conſigli, vi ſi dipingeſſero tutti gli Signori Otto della Balìa di Fiorenza in abito magnifico, e trionfale, ciaſcuno de' quali doveſſe ſeparatamente avere a piede della ſua Immagine il nome e cognome della ſua famiglia con titolo di Padre della Patria, e di difenſore della libertà . . . . . ed alli Strozza, e Salviati, che erano ſtati due volte per ſervizio pubblico in Perugia, fu donato un Corſiero per ciaſcuno di valore di 205. Fiorini d' oro, ben guarniti, e furono mandati loro a Fiorenza, ec.*

diuturna cogitatione noſtrum ingenium reperire tam magnifici doni praemium aggregando, quas vobis condebitas referre poſſimus gratias non habemus. Sed tamen hoc tantum munus gratis animis acceptantes, quanto pleniores poſſumus magnitudini veſtrae gratiarum rependimus actiones; nos, & quidquid ſumus non tamquam cives, ſicut, quod glorioſum nobis eſt, nos gratioſe feciſtis, ſed tamquam ſervos in cunctis veſtris beneplacitis offerentes. Dat. Florentiae die XI. Martii p. Ind. MCCCLXXVII.

XLVII.

DOMINO PEROTTO SCATIZZAE.

Nobiliſſime Domine Amice ſingulariſſime. Per litteras Matthaei Metti; (1) & Pieri Gherardi dilectorum noſtrorum civium nuper accepimus quantum vobis videbatur nos debere proſequi, ut clariſſimum Dominum Dominum Vicecomitem Turennae ad aſſumendum tractatum pacis inter Sanctam Matrem Eccleſiam, ac noſtram devotionem, ſicut appetimus, inducamus; & quod neceſſarium ducebatis nos debere tranſmittere unum noſtrum commiſſarium ſine pompa, & plene de cunctis differentiis informatum, atque cum ſufficienti mandato, quicquid remanebat in controverſia concludendi: nec non quod Dominis Reverendiſſimis Patribus Cardinalibus, qui ſunt Avinioni, & ceteris eidem Domino Vicecomiti co-

(1) Matthaei Metti meminit etiam Admiratus ad annum 1380. lib. 14. pag. 755.

coniunctis pro expeditione negotii dulciter ſcriberemus. Quae cuncta cognoſcimus ex puro & ſincero caritatis fonte procedere, & a perfectae dilectionis, quam ad Commune noſtrum vos habere certiſſime demonſtratis, radicibus pullulare. Nam, quod ſine oſtentationis macula dictum ſit; in hac ſpirituali Communis noſtri & Florentinorum civium perſecutione vos praebuiſtis non favorabilem, ſed patronum; ut merito poſſimus adſerere nos tantam fidem in Iſrael minime reperiſſe. Nec putet veſtra Nobilitas, quod hanc tantam affectionem Commune noſtrum vel oblivioni tradiderit, vel quaſi rem modicam parvipendat. Magni quidem facimus, quod vos, nullis praecedentibus beneficiis obligatus, adeo vehementi caritatis igne cives noſtros fuiſtis tam benigne tamque favorabiliter proſecutus. Nec tot beneficiorum merita, noſtris umquam de mentibus delebuntur; ſed quamdiu durabit Florentinorum nomen, & praeſens aetas & omnis futura poſteritas vos cum recordatione perpetua celebrabit. Quantum autem ad id, quod conſulitis, attinet, noveritis nos ab eodem Domino Vicecomite gratioſum habuiſſe reſponſum, nos quoque eidem ſicut per interclusam videbitis reſpondiſſe; ob quod ſuperfluum nobis eſſe videtur ulterius ſcribere, quam ſit factum. Quin etiam Dominus noſter Dominus Summus Pontifex in pacis mediatorem elegit magnificum Fratrem noſtrum Dominum Bernabovem, & hodie oratores Apoſtolicae Sanctitatis Reverendiſſimus pater Dominus Cardinalis Ambianenſis, Archiepiſcopus Narbonenſis, & Epiſcopus Pampillo-

nenſis ad Podium Bonizzum (1) caſtrum unum noſtri territorii pro tractatu concordiae pertigerunt, per quos ſperamus pacem optatam citiſſime concludendam. Ex quo minus neceſſarium nobis eſſe videtur, immo minus honeſtum eumdem Dominum Vicecomitem onerare. Quia tamen poſſibile foret hunc tractatum effectum debitum non ſortiri; dilectionem & nobilitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus amore noſtri dignemini eundem Dominum in huiuſmodi propoſito confirmare, & ſuggeſtionibus veſtris impellere, quod pro ſui nominis gloria velit circa hoc, non obſtante huiuſmodi diſpoſitione tractatus efficaciter operari. Datum Florentiae die IV. Martii prima Indictione MCCCLXXVII.

(1) Tuſciae oppidum, etruſca lingua, *Poggibonſi*, adpellatum, a Florentia tribus milliaribus ſupra viginti Meridiem verſus diſtans.

XLVIII.

MAGISTRO DONATO DE CASENTINO. (1)

VIr facundiſſime, frater optime. Saepenumero mecum cogitavi, quo nam principio, quave ſcribendi occaſione cum caritate tua poſſem incoare ſermones, & in eo, ſicet vili calamo tecum loqui. Eoque demum magis ad hoc impellebar, quia de tuorum morum comitate, de ſumma ſtudiorum & ſcientiae tuae profunditate & gloria, relatione optimi iuvenis Marci de Caſtillione Arretino, qui nunc domeſticus & commenſalis meus eſt, certior factus ſum: ut licet hactenus fama celebris te claro nomine circumferret, & inter inſignes viros noſtri temporis, & ex ipſis inter primos facile muneraret; ex quo te non viſum non mediocri adfectione diligerem; atte-

(1) Magiſter Donatus de Caſentino vir apprime inſignis Marchionis Eſtenſis praeceptor fuit, deinde Cancellarius, ſicut eruitur ex Annalibus Eſtenſibus Iacobi de Delayto ad annum 1398. ubi ait: *Item Officio Cancellariatus loco Bartholomaei de la Mella praefecit Magiſtrum Donatum de Caſentino, qui praeceptor ſuus fuerat.* Hunc in Epiſtola ad Bartholomaeum de la Mella a Mehus edita, Donatum Apenninigenam adpellat Coluccius.

teſtatione tamen Marci noſtri te & pluris fecerim, & ardentioris flamma caritatis amarim. Quid enim virtute clarius, quid amabilius probitate? Clara profecto virtus eſt, cuius ſplendorem etiam virtutis hoſtes intra ſe mirantur, & non extollere laudibus erubeſcunt: & licet vitiis impliciti virtutibus probentur eſſe contrarii, illius tamen credi volunt, & reputari cupiunt amatores. Ego tamen etſi virtuoſus non ſum, cunctos tamen in quibus ne dum virtutem, ſed virtutis opinionem aut veſtigium viderim, ſemper cum veneratione dilexi. Inter quos patiare te unum a me amari: nec durus ſis, quo nihil minus, ut Ciceroni placet, hominis eſt, reſpondere in amore nobis, a quibus, ut adſpicis, provoceris; immo amantem te ama. Sed ut ad inceptum redeam, cogitabam tibi ſcribere & aliquam mecum laetam atque iucundam materiam, ſcribendi quidem avidus, meditabar, expectabamque quod aliquid nobis occurreret, ut poſſemus conceptae caritatis ardorem exprimere, teque ad aliquid reſcribendum, ut participem tuae facundiae me faceres, invitare. Sed me miſerum quam veriſſimum eſt illud Perſianum: *Ob curas hominum quantum eſt in rebus inane!* Futiles namque ſunt cogitationes noſtrae, vana conſilia, ſpes inanes, & quicquid facimus mortale genus, quidquidve corporeis videmus oculis, quicquid in hoc mundo diligimus & habemus continui timoris amaritudine conſperſa ſunt: dumque tenentur manibus effluunt, & adſpicientium oculis evaneſcunt. Eaque, quum peritura cognoſcimus, cura perpetui timoris excru-

cruciant, & ſi non cogitamus eſſe caduca, inopinato ſuae fluxionis eventu incautas mentes commovent & perturbant. Diſcurre parumper animo per cuncta, quae mundus iſte diligenda proponit, diſcurre precor tecum, & per ſingula meditare. Invenies profecto cuncta nedum momentanea atque fluxa, ſed omnino vaniſſima: & ne per multa trahamur, ſed ad Apoſtolicae diviſionis compendium nos vertamus, quicquid eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitae. Quid autem, ne dicam foedius, aut beſtialius, ſed quid inanius concupiſcentia carnis? Haec enim aut circa gulam, aut circa libidinem, quam luxuriam dicimus, obſervatur. De iſtis autem, ſingulae principium quaeris, inanitas eſt, ſi finem vacuatio eſt, ſi durationem momentanea eſt, ut enim repleamus inane ſatiari quaerimus. (1) Quod ſi naturae neceſſitate metiamur, refectio eſt; ſi autem voluptate menſuremus, in gulae vitium commutatur. Poſtquam vero corporis noſtri pater ille familias (2) ingeſta digeſ-

(1) Mart. lib. XII. Epig. 48. Editionis Amſtelodamenſis cum Farnabio.

Lauta tamen caena eſt, fateor, lautiſſima: ſed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil.
Quod ſciat infelix damnatae ſpongia virgae
Vel quicumque canis, iunctaque teſta viae.

(2) Alludit fortaſſe ad concionem habitam a Menenio Agrippa ad Romanam plebem, quae patribus offenſa in Aventinum ſeceſſerat. Livium conſule lib. 2.

geſſerit, nonne partim in ſeceſſum emittitur, partim in epar, & exinde per omnes corporis particulas diſpenſatur? Quamdiu autem durat illa voluptas? Certe omnis guſtus noſtri ſuavitas trium digitorum latitudine terminatur, unde non immerito Philoxenus Eryxius refertur oraſſe Deos guttur ſuum longius Gruis fieri, vere digna profeſſione petitio. (1) Nec dubitem illum, ſi aliquod notitiae ſuae maximum animal occurriſſet, quod totius corporis lineamenta ſolo gutture terminaret, ſe totum in illud transformari ſi viveret petiturum. Libido vero, quae quanto communior nobis cum brutis animantibus eſt, tanto minus eſt hominis, quam vana ſit, ex Demoſthene datur intelligi, qui quum Thaidis concubitum formoſiſſimae meretricis, quae tunc in Graecia habebatur avidius, poſtulaſſet, & illa medium talentum petiviſſet in pretium, reſpondiſſe fertur, ſe non emere tanto pretio poenitere. Finis ergo lubidinis eſt poenitere. Quid autem vanius quam id agere, quod feciſſe, tandem oporteat pertaeſum ire? Concupiſcentia vero oculorum, quae ſolum circa fluxa atque caduca verſatur, & quae multis annis congregat, quod unum momentum evacuat, quid poteſt inanius cogitari? Ipſa autem ſuperbia vitae quam

(1) Phyloxeni Erixidis filii votum hoc habetur apud Athenaeum, profeſſio eius fotraſſe Paraſiti. Huiuſmodi votum ex Machone Comico refert etiam Eraſmus de Philoxeno Cytherio, qui optavit guttur tres longum cubitos.

quam vana ſit, qui ſubitos elatorum caſus inſpiciat, quique humanae vitae fragilitatem conſideret, facile iudicabit. Superbiunt mulieres forma, & quod turpiſſimum eſt ſuperbiunt viri, ſi tamen viri dicendi ſunt, quos illa caduca formoſitas, in quam coniurant mille morborum genera, & demum diu viventibus fatalis & inevitanda ſenectus, potuit delectare. Superbiunt viribus, quae ſicut de multis antiquorum legitur, multis morti, ſed omnibus ſunt labori. Superbiunt ſplendore famae, quae cum vulgi vitiatur adloquio, quo nihil mutabilius, aut in ignominiam vertitur, aut in ipſorum praedicantium ore evaneſcit. Superbiunt tremularum culmine dignitatum, quas, qui tenent, ut conſervare poſſint, ſaepe pluribus & inhoneſtioribus, quam deceret, famulantur. Denique quicquid in mundo diligimus, vel miramur, aut mors, quae cunctis animantibus praeſcripta eſt, aut vita ex oculis aufert noſtris. Nec iam tibi viro ſtudioſiſſimo, ut fides de praedictis fiat, oportet exempla proponere. Plane quidem & ubertim tam divinae quam ſaeculares litterae, ſiquis eas aut legerit, aut lectas in memoriam revocarit, teſtimoniis exuberant exemplis. Forma quidem, cuius fiducia fecit Paridem de rapienda Regina Graeciae Illa formoſiſſima Helena cogitare, & illum vita, & illam teſtimonio caſtitatis, quae ſumma matronarum dos eſt, privavit, Aſiamque, & Europam infauſtiſſimo bello permiſcuit, in quo tot viri fortes, totque Reges & Principes cecidere. Forma pulcherrimum extulit Abſalonem, & in Patris excidium ſaevien-

vientem, capillicio, quo maxime pollebat, ſubſpenſum extinxit. Milonem Crotoniatem dum bifidam quercum excuſſis cuneis, quibus hiatum fecerat, manibus conatur educere, digitis captum ipſae vires lacerandum feris beſtiis tradiderunt. Oh quot & quantos glorioſae famae cupido decepit! Quot potentiſſimis viris, ut in Iulio Caeſare conſtat, ac multis poſt ipſum Imperatoribus ipſa dignitas fuit ad caedem? Quid autem de filiis loquar, qui ſi mali ſint, parentes continuo moerore conficiunt; ſi boni dum vivunt diutina mortis cogitatione diſcruciant; ſi moriuntur aeternis in lacrimis flebili cum lamentatione demergunt. Scio in omnium coniunctorum morte, & praecipuae filiorum, maxime quum boni ſunt, etiam ſapientum animos commoveri. Sic Neſtor ille, qui ſapientiae titulum inter Achivos habebat, quique paulo ante ceteros de filiorum ſedibus ſolabatur, mox in Antiloci caede reſolutus in lacrimas caniciem manibus vellens, & unguibus ora diſterminans, iam trium ſaeculorum vitam miliciae Deorum munere patientem, quam adeo diligimus, condemnabat. Sed ſicut humanum eſt in morte mortalium perturbari, ſic ſtultum non opponere fragilitati naturae, robur, & fortitudinem rationis, diutiuſque quam oporteat lamentari, praecipue quum illos fletus nihil omnino videris profuturos. Licet enim diu fleas, ut Terentiano verbo utar, *ille reviviſcet iam numquam*. Quod ſiquis in morte non eſſe quicquam mali forte contenderit, quum in ea nil turpe ſit, non iam lugenti mortem cuiuſpiam, ut inquit Cicero, & luctum, ſed ſtulti-

ti-

titiam detraxerit. Ex quo non ſine contumelia & ſtultitiae obiectione quemquam de filiorum, aut coniunctorum mortibus conſolamur. Quid igitur faciam mi Donate, quem Deus in unici filii morte, ſicut maeſtus audivi, non multis elapſis menſibus viſitavit? Scio te ſapientem eſſe, iamque tibimet te ipſum perſuaſiſſe mortem mortalium non eſſe deflendam. Sed inquies: Optimum filium amiſi. An quod bonus fuerit dolendum cenſes? An ex quo moriturus erat, maluiſſes illum contaminatum fuiſſe flagitiis? Noli, quod maximae conſolationi tibi debet adcedere, depravata ratione vi alimentum doloris & aegritudinis uſurpare. Non expedit, opinor, illa retexere, quae ſolemus ad conſolationem dolentibus adhibere. Puto quidem dum ille infirmabatur, dum ſpiritum emittebat, dum elato funere ferebatur humandus, licet illa omnia mentis firmitudinem commoverent, te tamen ad ſtudia retuliſſe tua, tibique tecum exſcitatis doloribus contuliſſe. Cur moveris mortalis & infirma caro? Quid doles? An aliquid inuſitatum experiris? Nonne ſic intravit, ut tardius aut citius ad defunctorum agmina properaret? Cur non addicis te, licet poſt illum remaneas, eamdem tamen viam irremediabiliter intraturum? An doles, quod de corruptione transferatur ad immortalitatem? An affligeris, quod de fluxorum contubernio, quibus quotidie polluebatur, aut certe coinquinari poterat, ad aeternum conſortium, & immarceſcibilem illam beatitudinis gloriam evocetur? Cur miſer & miſerrimus carcer & foetida caro, quae hanc animam liga-

gatam tenes illum a carcere ſuo adfligeris evolare? Quo pergit Antonius meus? Nonne vides quanta cordis amaritudine ipſum poeniter erratorum? Nonne vides eum, licet iuvenem, libenter ex creaturis ad ſuum intendere Creatorem? An melius eſt expectare quod ſubito forſan & improviſo mortis adventu, ubi nulla poenitendi copia, nulla recognoſcendi rationis ſuae calculum dentur ſpatia vitae praeſentis, falſae dulcedini ſubtrahatur? An forte doles orbitatem tuam? Nonne velis illum praemiſeris, ubi cum eo cunctis temporibus converſeris? Quid mecum faciebat? Certe terrena tractabat, labilia, fluxa, & in quibus quicumque verſantur, mille in aeternae Maieſtatis offenſam quotidie reata committunt? An hic manens poterat non peccare? An fortis erat carni reſiſtere, quae David, de quo dicebat Deus, inveni hominem iuxta cor meum, in adulterium, proditionem, & homicidium, Berſabea cognita, perſpectaque, perduxit? An fortis erat reſiſtere Diabolo, qui continuus nobis hoſtis adpoſitus mille tentationum iaculis nos invadit? An poterat reſiſtere mundo, cuius amoenitas pene cunctos mortalium ſecum trahit? Doleamus nobiſcum miſerias, in quibus vivi remanſimus, & illum optimo fine tot evaſiſſe pericula gaudeamus. His & aliis quae tum prudentiae tuae habitus, tum tuorum monita ſtudiorum, tum Divina Gratia ſuggerebat, non ambigo te tibi conſolatum fuiſſe. Quod ſi feciſti, laeteris & gaudeas. Si autem id forte doloris magnitudo prohibuit, ad iſta, te precor, diſcuſſis erroris & ignorantiae tenebris te conver-

verte. Tuque & ego in hac migratione Antonii noſtri, ſi quid dolor commoverit, ſalubriori conſilio, verae rationis adminiculo conſolemur, illumque cum benedictionis adminiculo laeta mente reſtitue Creditori, immo patere potentiſſimum illum Accommodatorem, ſicut ſibi placuit, accepiſſe. Nec minus te cognitorem veri Dei, & monitis Fidei Chriſtianae munitum fortem praebeas, quam fecerint Xenophon, & Anaxagoras ſingulis amiſſis filiis, Pericles duobus. (1) Quintus Martius Rex, ac Cato Cenſorius aliquando in conſulatu collegae. Horatius Pulvillus, & ipſe Aemilius Paulus, multique praeterea, quos enumerare longum, caeca gentilium ſuperſtitione decepti. Quumque videris omnia, quae in mundo, & ipſum mundum eſſe mortalia, noli deſideria tua contra naturam rerum fruſtra dirigere, ſed intra fortitudinis & virtutum arcem te colligens quicquid ingruerit patienter ac forti pectore tolerato. Tanto tutior, quanto minus remanſerit, quod fortunae praebere valeas feriendum. Vale, meque, ſi placet, inter tuos amicos adnumera. Ego quidem te, licet non conceſſeris, ſemper amabo. Florentiae XXVII. Iunii.

(1) Quum Anaxagorae filiorum mors renuntiata eſſet, haec dixiſſe refert Laertius in eiuſdem vita: ὅτι ᾔδειν αὐτοὺς θνητοὺς γεννήσας: *ſciebam me genuiſſe mortales*. Idipſum referunt nonnulli de Solone, & de Xenophonte.

XLIX.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

Magnifice miles, Amice cariſſime. Recepimus litteras veſtras, quibus nobis ſcribitis, quod Peruſini non indigent gentibus, qui ſecuritatis litteras ab Oratoribus Summi Pontificis habuerunt, & quod Anglici equitare non poſſent, quum non fuerit ipſis, ſicut ſcribitis, ſatisfactum, de quo non modicum admiramur. Primo enim, quod eſt dicere, quod fiant ſecuritates & treguae ſine conſenſu magnifici Fratris noſtri Domini Bernabovis, nobiſque inſciis & totaliter inconſultis? Certe, amice cariſſime, quamvis putemus vos omnia ad finem bonum feciſſe, numquam tamen intentionis noſtrae fuit, nec eſt, quod aliqua belli ceſſatio fiat ante concluſionem pacis, nec tempus perdere, quod numquam poterimus rehabere. Nec videatur vobis proprium quiddam has treguas indicere, quoniam Summus Pontifex indiget gentibus pro diſcordia, quàm nuper cum Romanis habet, (1) & oportebit

(1) Seditionem, de qua loquitur heic Colucius, ipſam puto, quae apud Pellinium Hiſtoriae Peruſinae lib. 9. part. 1. deſcripta legitur his verbis. *Fu di queſti medeſimi giorni ſcoperto un trattato in Roma, guidato (come dicono) da Luca Savelli, e dal Conte di Fondi, per dare a ter-*

bit ipſum noſtrorum colligatorum confinia relinquere, & infra ſuos fines, ſi haec veſtra gens ſecundum ordinem datum equitaverit, belli violentiam propulſare. Quocirca vos affectuoſiſſime deprecamur, quatenus placeat, omnibus relictis, ordinare, quod gentes huiuſmodi Peruſium proficiſcantur, pro quorum adventu omnia ſint parata. Et Spinellus eſt in partibus Vallis Arni cum pecunia, ipſis, ſi equitare debeant, ſoluturus. Quotidie enim querelas habemus de homicidiis, violentiis, & rapinis, quae per veſtras gentes magna noſtra cum diſplicentia committuntur, ex quo iam incipit noſter populus murmurare. Et ideo celeriter providere velitis, quod iſtae gentes pergant ad loca pluries ordinata, quoniam per iſtum modum longe feſtinantius pacem habebimus, quam cognoſcimus vos optare; & noſtrum & territorium Vallis Arni a vexatione veſtrarum gentium, quae non poſſunt ab iniuria contineri, quod ſummae deſideramus, liberum remanebit. Datum Florentiae die IIII. Martii MCCCLXXVII.

terra il Reggimento de' Banderesi, ed ucciderne quanti più potevano, e vogliono che ſosse fatto ad iſtanza de' Miniſtri del Papa, che per anco ſi trovava in Anagni, benchè poco dopo ſe ne tornaſſe a Roma, al qual trattato avevano congiurato più di 400. uomini ec.

L.

DOMINO OTHONI. (1)

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Domine. Audivimus magnificum Fratrem noſtrum Dominum Bernabovem podagris acutis laborare; propter quod quamvis ipſum impellamus per noſtras litteras quanto efficacius poſſumus ad acceſſum; dubitamus, quod attingere non poterit Sarezanam (2). Quo circa ſublimitatem veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus dignemini cum Reverendiſſimis Patribus Dominis Oratoribus Summi Pontificis operari, quod uſque Parmam procedere non graventur. Et circa hoc & in aliis quibuſcumque, Oratoribus noſtri Communis fidem pleniſſimam adhibete. Datum Florentiae die x. Martii prima Indictione MCCCLXXVII.

PE-

(1) Othonem hunc eſſe puto ex nobiliſſima Saxoniae ſtirpe, quartum Reginae Ioannae virum, ad quem ſcripta eſt XX. Epiſtola primae partis.

(2) Sergianum, etruſce *Sarzana* urbs Etruriae in Ligurum confiniis, apud oſtia Macrae fluvii, media inter Maſſam ad Ortum, & ſpetiam ad Occaſum, ſub Genuenſium ditione.

LI.

PERUSINIS.

FRatres cariſſimi. Magna admiratione nuper accepimus ab Amicis noſtris cariſſimis Fulginatibus quod tregua contracta cum ipſis per vos & nos, ſicut convenit, non ſervatur; (1) & quod viginti octo captivi poſt concordiam initam de ipſorum ſubditis detinentur; quodque crudelius, quum ipſorum liberatio ſperaretur viginti octo dentes ipſorum, quorum ſingulis ſinguli ſunt extracti, fuerunt in patriam deſtinati. Quid plura? Noviſſime in numero centumquinquaginta de Spello, Aſſiſio, & circumſtantiis iuxta Civitatem ad medium milliare, manu armata & hoſtili-

K 3 ter

(1) Induciae de quibus loquitur heic, & non ſemel in ſuperioribus Epiſtolis loquutus eſt Coluccius factae ſunt die 20. Octobris ann. 1377. per Andream Salviatum, & Thomam Strozzium cum Peruſii eſſent, ac deinde menſe Februario quum Conradus Trincius ad Fulliniidominium eſt revocatus iterum confirmatae, hoc tamen pacto, ne in urbem Fulliniam quiſquam ex Eccleſiae gentibus reciperetur Pell. lib. 9. p. 1-

ter irruerunt, exinde captivos & praedas inimicabiliter exportantes. Quae, quantum honori veſtro & noſtro, quod principaliter in fidei obſervatione verſatur, conveniat, vos ipſi nobiſcum nullatenus ignoratis. Et quum ad obſiſtendum inimicis, quos veſtrum adſeritis territorium infeſtare, quotidie poſtuletis auxilium, rumpendo fidem, amicos vobis facitis inimicos. Quocirca Fraternitatem veſtram cordialiter deprecamur, quatenus amore noſtri pro obſervatione conventorum, pro honore veſtro & noſtro, pro pace & tranquillitate patriae, dignemini circa liberationem dictorum captivorum & obſervationem treguae, quod vobis multis reſpectibus non utilem tantum, ſed neceſſariam arbitramur, ſine morae diſpendio realiter providere. Datum Florentiae die XVIII Martii prima Indictione MCCCLXXVII.

DO-

LII.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

AMice Cariſſime. Prout novit Veſtra Nobilitas, Anglici veſtri exiſtentes in partibus Vallis Arni permiſerunt Spinello Lucae Theſaurario noſtri Communis equitare verſus partes Peruſii, recepta paga menſis Februarii elapſi de proximo. Nunc autem quum Dominus Spinellus ſolutionem fecerit omnibus Anglicis de paga praedicta, ipſi Anglici denegant equitare, de quo dolemus, & vehementiſſime admiramur; tum quod in terris, ubi ſunt, victualia equorum omnino deficiunt, tum etiam quia per inimicos exſtitit ſuper Peruſinorum territorio equitatum cum maxima illatione damnorum; & noviter die XIV. menſis praeſentis de nocte dicti inimici uſque ad ianuas Peruſii decurrerunt (1) & unum Burgum continuum civitate totaliter combuſſerunt capientes multos captivos & praedam. Et ob id amicitiam veſtram totis affectibus deprecamur quatenus

(1) Quidam ex pedeſtribus, equeſtribuſque Eccleſiae militibus, cum Bettonae eſſent, ſub tertiam noctis vigiliam egreſſi ab urbe Peruſium uſque decurrerunt, ignemque ad portam vulgo *della Piaggia* adpellatam admoverunt. Vide laudatum Pellinium lib. 9. part. 1.

nus amore noſtri, & dictorum Peruſinorum dignemini Anglicis ſupradictis iniungere taliter cum effectu, quod ipſi celeriter equitent ad Dominorum Peruſinorum ſervitia; quoniam eorum damna ſunt nobis, quam noſtra propria graviora. Datum Florentiae die XVI. Martii de ſero MCCCLXXVII.

LIII.

OPTIMO VIRO SER IULIANO GENNARINI CANCELLARIO BONONIENSI FRATRI CARISSIMO.

EXigis a me Fratrer Optime, quod tibi velim reſpondendo depromere, qualiter me habeam circa ſaeculi praeſentis curas, qualiterque ad Beatitudinem aeternae quietis adſpirem. Brevis quidem quaeſtio, ſed neſcio an humanis viribus explicanda. Ego autem brevi eloquio me expediam. Fateor in harum temporalium rerum fluctibus meum animum agitari. Gaudeo quidem & laetor in proſperis; immo in iis, quae in magna ignorantiae caligine, proſpera iudicamus. Quum enim ad rationem te tota mente converteris, nullam eſſe poſſe in harum caducarum rerum ſocietate proſperitatem invenies, utpote quae in adſpicientium facie, & in tranctantium manibus, dum tanguntur, effluant, & dum percipiuntur oculis evaneſcant. Tanta tamen eſt mentis caecitas, tanta poſt ſenſus deviatio rationis, quod in temporalium ſplendorum

rum adfluentia, non valeam non laetari, non optare, ſi non habeam, non timere cum poſſideo, &, ſi quid ex his effluxerit, non dolere. Heu heu quam peſſimam occupationem dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Haec autem, quibus ſpe, metu, dolore, nec non laetitia fluctuamus in ſe ipſis bona ſunt, in nobis autem tum bona tum mala. Si bene quidem utaris eis, cooperantur in bonum. Occupatio igitur eſt inter iſta verſari, optima quidem, ſi in ipſa duce ratione regamur, peſſima vero, ſi per ſenſuum illecebras dilabamur. Non clamemus contra Creatorem noſtrum, qui fecit haec, non ut occuparemur in eis, ſed ut per rationem dominaremur. Tanta tamen eſt fragilitas hominum, tanta dementia, quod, quum ad imperium ſint creati, ſponte ſerviant, & ſua voluntate ſubſint, quibus debeant dominari. Video frater optime dum haec ſcribo meam & cunctorum mortalium miſeriam perhorrendam. Nullus eſt qui ſuam dignitatem agnoſcat. Nullus eſt, qui, ſi agnoverit, illam, curet vel conetur adſerere. Tot quidem haec, quae ſubeſſe debent, illecebris blandiuntur, quod mentium noſtrarum adripiunt dominatum, quod lumen merae cognitionis obnubilant, & in ignorantiae tenebras nos perducunt. Haec eſt Cathedra peſtilentiae, in qua, qui non ſederit, Divino Spiritu revelante, immo confirmante beatus eſt. In haec mente noſtra converti, conſilium impiorum eſt. In iuſta deſcendere via peccatorum eſt. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum & in via peccatorum non ſtetit & in Catbedra peſtilentiae non ſedit,*

dis. Quid autem dixit, beatus? Immo ter quaterque beatus, qui rerum iſtarum contagio non foedatur, quique ſenſibus imperans non vergit ad ima, ſed ad ſuperna divino digito ductus emergit, Beatoque proximus eſt, qui cum Satyrico dicit: *mihi res non me rebus ſubigere conor*. Sed quem dabis in filiis hominum, qui, quod Cicerone teſte difficillimum eſt, mentem poſſit a ſenſibus revocare? Si qui autem ſunt taliter mente compotes, non humana virtute utuntur, ſed Dei auxilio roborantur. Ecce Frater Optime, juxta Evangelicam Doctrinam quae praecepit: *confitemini peccata veſtra invicem*, tecum de peccatis meis loquor, & iuxta infelicis amantis ſententiam, *video meliora proboque, deteriora ſequor*. Et ut Terentii noſtri verbis utar: *me miſerum ſentio, & taedet, & amore ardeo, ac prudens, ſciens, vivus, videnſque pereo, nec quid agam ſcio*. Non eſt mei moris magnifica verba iactare, & iactando mentiri. Plane ſiquidem verum loquor, & cum me labare ſentiam, atque deficere, neſcio ſimulatus eſſe meae fortitudinis praedicator. Vides una mecum Frater Optime cum ſaeculi praeſentis illecebris quali eventu, qualique conditione confligam. Unum adfirmem, quod quamvis in hoc congreſſu . . . . , non proſternor, quamvis in fortunae blandientis laenocinio movear, non divellor. Agnoſco ſiquidem, dum illa videtur propenſius adridere, quantas inſtruat mortalibus latenter inſidias, quantumcumque fellis ſub illius falſae dulcedinis melle recondat, meque tota mente praeparo, ne, dum favere videtur, adliciat, vel quum faciem mutaverit, ſuo

ſuo me turbine ſecum trahat. Hoc ago, hoc deſidero, hoc meditor die, noctuque. Utinam rerum omnium Opifex mea vota ſecundet, & ab huius inſidiantis mundi baratro liberatum adiuvet & confirmet. Quoniam igitur cum ſaeculi praeſentis tentationibus, ſic pugnam conſero, quod ſuccumbam, qua poſſum de aeternae beatitudinis gloria ratione ſperare? Spero tamen quod me non perdet Dominus Deus meus, & Redemptor meus, ſed in ſuae infinitae miſericordiae infinitate ſalvabit, & hanc ſpem habeo repoſitam in ſinu meo. Unum eſt quod me terret, quod videam ſcilicet haec, quae bona dicimus mihi ſupra merita cumulari. Utinam non dicatur mihi in illo diſtricto iudicio: *tuam, dum viveres bona capiens, accepiſti mercedem*. Orbis vero colliſionem, quam, videns ſigna in Sole, & Luna, & cetera, prout ſcribis inſtare putas, non expecto; Sed ſi ad mortalium rerum finem vivens perventurus ſum, intrepidus & conſtanter adſpiciam, & conabor aequanimiter, quicquid accidat, tolerare. Et eo magis, quia iuxta Tragici ſententiam: *felix eſt quiſquis moriens omnia ſecum conſumpta videt*. Vale mei memor. Florentiae XII. Kal. Octobris.

DO-

LIV.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

MAgnifice Miles Amice Cariſſime. Receptis veſtris litteris Fratribus noſtris Senenſibus ſcribimus in hac forma. Fratres Cariſſimi. Miramur ſatis, immo, ultra quam dici valeat, admiramur, quod quum toties cumulatis litteris nos non ſolum inſtanter, ſed etiam importune de ſubſidiis requiratis, Anglicorum invictam manum, quae pro libertate patriae tot iam ſumptibus fuit conducta pro defenſione veſtra in tot periculis, quot nobis imminent, quotque quotidie ſcribitis recipere, denegetis. Nec Scimus quomodo poſſit haec peſtis a veſtris finibus removeri, niſi tantae vires hoſtibus opponantur, quod perterriti, fugiant, & noſtrarum gentium metu perculſi veſtrum territorium derelinquant. Dicite Fratres Cariſſimi, eſtne melius inſultus hoſtiles cum capturis, & depraedationibus, incendiis, & terrarum expugnationibus tolerare, quam cum aliquali incommodo validiſſimum defenſorum praeſidium acceptare? Quocirca Fratres optimi, ut conqueri deſinatis, ut parata poſſitis pericula devitare, ut hoſte perpulſo bellum, quod nunc veſtris gerit in finibus aemuli in ſuo territorio patiantur, dignemini

mini gentes iſtas benigne recipere, & etiam, ſicut oportet, & ſolet ipſas ad veſtra ſervitia impenſis beneficiis obligare. Et ob id, circa hoc placeat ſecundum veſtram conſuetam prudentiam operari. Datum Florentiae die xxv. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

LV.

SER PERINO GRIMALDO.

NObilis vir, Concivis noſter dilecte. Literis clariſſimi Domini Domini Vice-Comitis Turennae taliter reſpondemus. Exſcellens, atque glorioſiſſime Domine metuende. Gratioſiſſimas litteras &c. (1) Et ob id placeat ipſum veſtris ad hoc ſuggeſtionibus exhortari. Nam ſi dederit Deus nobis per hoc medium pacem optatam, particeps eritis gloriae, quum ab eo per vos ſimus hoc donum noſtris gratiſſimum mentibus recepturi. Demum de diligentia & ſolicitudine veſtra, & amore, quem ad hanc veſtram patriam oſtenditis & habetis, impendia gratiarum referimus copioſa. Et ut in praemittendo noſtros Oratores ad Portum Piſanum non poſſimus errare, acceſſum praefati Domini velitis taliter intimare, quod valeamus in opportuno tempore mittere, & ne verba dare videamur, per effectum operis demonſtrare. Datum Florentiae die XXI. Februarii prima Indictione MCCCLXXVII.

AZO-

(1) Vide ſupra Epiſt. XXXVII. Pag. 114.

LVI.

AZONI DE SERTIRANA.

AMice Cariſſime. Audivimus quod Britones (1) exiſtentes Arretii equitare non poſſunt niſi ſolutionem habeant menſis Martii elapſi de proximo. Quamobrem ut inde diſcedere valeant, vos rogamus, ut partem noſtro Communi tangentem de menſe Martii ſupradicto eiſdem Britonibus de pecunia Magnifici Fratris noſtri Domini Bernabovis ſolvatis. Et nos contentamur quod idem Magnificus Frater noſter Dominus Bernabos retineat tantum de pecunia, quam ab eodem debemus recipere, quantum pro parte noſtra pro dicto menſe Martii ſolvetis Britonibus ſupradictis. Et de hoc Magnificum Fratrem noſtrum Dominum Bernabovem faciemus eſſe contentum. Datum Florentiae die XI. Aprilis MCCCLXXVIII.

VL

(1) Quadringenti erant Britones ad Colligatorum ſtipendia militantes.

LVII.

VICECOMITI TURENNAE.

EXcellens atque Generoſiſſime Domine metuende. Recepimus litteras ſublimitatis veſtrae in ſerie gratioſa, per quas manifeſte percepimus ſincerum caritatis affectum, quem ad patem noſtram geritis, & ad hoc Commune, etiam ex nullo meriti debito praecedentis, habetis. Videbamus etiam operis per effectum beatiſſimae, & lacrimoſae recordationis Dominum noſtrum Dominum Gregorium Summum Pontificem, qui magno noſtro dolore diem clauſit extremum (1) ad pacem taliter eſſe diſpoſitum, quod niſi mors eum infauſtiſſima praeveniſſet, pax procul dubio ſequebatur. Regratiantes itaque affectione qua poſſumus de tanto, & tam ferventi veſtrae mentis ardore, ad hanc, quam ſumme deſideramus concordiam, cum Excellentia veſtra de obitu praefati Domini noſtri cordialiter condolemus, affectuoſiſſime rogantes eandem, quatenus conſolationis ſpiritum aſſumentes, quantumcumque dolorem vos contingat ex carnis fragilitate concipere, dignemini cum compenſatione ſpei ſuae futurae gloriae mitigare. Vixit enim ſatis gloriae, qui ad eum api-

(1) Gregorius XI. obiit die XXVII. menſis Martii, ut habetur inferius in epiſtola ad Ludovicum Ungariae Regem data.

apicem fuerat evectus, ut omnes res mortalium ſub ſcabello beatorum pedum adſpiceret, ut eidem aliquid addere humana potentia non valeret. Vixit paene ſatis & naturae, qui in tantam perfectionem evaſerat, quod digne Ieſu Chriſti Vicarius crederetur. Vixit autem parum Vobis, modicum Eccleſiae Sanctae, minimumque devotioni noſtrae. Sed poſtquam ſic Deo placuit, ſit nomen Domini benedictum. Nos autem ob reverentiam praefatae S. memoriae, & veſtrae tantae caritatis meritis, vobis Commune noſtrum offerimus in cunctis, quae veſtrorum honorum, & ſtatus reſpiciant incrementa. Ceterum in pacis tractatu cum novo Summo Pontifice reſumendo, quamvis Oratores ſolemniſſimi Sereniſſimae Maieſtatis Domini noſtri, Domini Regis Francorum huc venerint pro pacis & concordiae bono nomine Regiae Celſitudinis interceſſuri; Veſtram tamen Exſcellentiam, ſi viderimus opportunum, tantam ſecuritatem veſtra nobis praebet humanitas, confidentiſſime rogaremus. Quam Deus Omnipotens & verus dolentium Conſolator dignetur ſua Clementia conſolari, in ſtatu tam glorioſo atque felici ſua miſericordia conſervando. Datum Florentiae die XIV. Aprilis prima Indictione MCCCLXXVIII.

LVIII.

SIMEOTTO DE URSINIS (1) ET IOANNI SCIARRAE. (2)

NObiles Amici Cariſſimi. Conſiderantes Divinam Providentiam ordinaſſe, quod in Apoſtolica Sede ſurrexerit Vir Iuſtus, (3) & a ſanguine Italico nullatenus alienus, a quo ſperamus pacem vobis, & nobis dari, matura deliberatione decrevimus, ob reverentiam Apoſtolicae Maieſtatis, quod nec per vos, nec per alios Colligatos illarum partium nihil bellicum attentetur, ſcribendo Reverendiſſimis Patribus Dominis Cardinalibus Florentino, & de Urſinis, quod dignetur cum Summo Pontifice ac Romanis taliter operari, quod aliqua belli moleſtia nec vobis, nec veſtris ſubditis inferatur, quod ipſos credimus infallibiliter curaturos. Quocirca nobilem amicitiam veſtram affectuoſiſſime deprecamur, quatenus placeat a bello pro nunc, donec paci da-

(1) Simeottus Urſinius habetur etiam apud Pellinium Hiſt. Peruſinae part. 1. lib. 8.

(2) Ioannem puto Columnã, fortaſſe Filium Sciarrae.

(3) Nomine Urbani VI. in Papam renunciatus eſt Bartholomaeus Butillus Archiepiſcopus Barenſis Neapolitanus, qui ut ait Adm. Hiſt. Flor. tom. 2. lib. 13. dicebatur Bartholomaeus de Perignano, deſumpto huiuſmodi cognomine ex quodam Piſani territorii oppido ita adpellato, unde Eius avus originem duxerat.

damus operam, abſtineri, ut Sanctitas Apoſtolica recognoſcat vos, & nos reverentiae ſui culminis cedere, &, non bellum, ſed pacem & concordiam affectare. Datum Florentiae die xx. Aprilis prima Indictione MCCCLXXVIII.

LIX.

DOMINO FLORENTINO (1) ET DE URSINIS (2)

Reverendiſſime in Chriſto pater & Domine. Ut pateat Apoſtolicae Sanctitati devotionis noſtrae ſinceritas, & quod noſtri propoſiti non eſt aliquid, quod turbationem ſuae Clementiae afferre valeat, conſentire. Nobilibus Viris Simeotto de Urſinis, & Ioanni Sciarrae de Praefectis Colligatis noſtris ſcribimus, quod ab omni bellorum ſtrepitu debeant abſtinere. Et ob id veſtram Reverendiſſimam Paternitatem cum humili ſupplicatione requirimus & rogamus, quatenus hoc di-

(1) Petro ſcilicet Corſinio, qui Cardinalis Florentinus dicebatur. Ad hunc directa eſt epiſtola X. primae partis.

(2) Fortaſſe hic eſt Iacobus Urſinius Sacra Purpura ornatus an. 1371. menſe Iunio: cuius rei cauſſa, ut refert Ammiratus, Florentini Nicolaum Urſinium Nolae, & Guidum, & Rupertum pariter Urſinios Soanae Comites libentius civitate donarunt; Ipſe autem Iacobus Florentiam veniens ſummo honore a Repub. receptus eſt.

dignemini Sanctiſſimo Patri, & Domino noſtro Domino Summo Pontifici reſerare, ſuae Sanctitati prout expedire videritis, ſuggerendo, quod dignetur ſua benigna clementia, cum Romanis, & aliis ordinare taliter verſa vice, quod in illis partibus bella ceſſent, & nulla fiat novitas hinc vel inde, adiungentes nos hoc ſolum ob reverentiam ſuae Sanctitatis, & non ob aliam cauſam providiſſe. Ceterum circa bella, quae geruntur circa Peruſium, & Tudertum, (1) quod, ut plene novit excellentia veſtra, illa guerra magis propter civilia diſſidia, quam alio reſpectu viget, & fervet, nobis erit difficilius providere. In ipſis tamen ſuſpendendis, vel tollendis operam dabimus efficacem. Inſuper dignemini devotionem noſtram Sanctitati Apoſtolicae commendare. Datum Florentiae die xx. Aprilis prima Indictione MCCCLXXVIII.

(1) Tudertum Colonia & Urbs Umbriae in colle apud fluvium Tiberim ſita, media inter Peruſiam, & Narniam 20. mill. paſs. diſſita, de qua Silius lib. 4.

Et Gradivicolam Celſo de Colle Tudertum.

LX.

PERUSINIS.

FRatres Cariſſimi. Hunc Rerumpub. credimus eſſe ſplendorem, in hoc cuiuslibet populi verſari ducimus maieſtatem, ſi publice promiſſorum fides in nihilo violetur. Huius autem tituli Commune noſtrum ſemper fuit diligentiſſimus obſervator. Et pro fide ſervanda ſaepe bellum geſſimus, ſaepe etiam nos ad manifeſta pericula poſuimus. Quid enim turpius, quid ignominioſius, quid denique deteſtabilius cogitari poteſt, quam univerſitatem fidem rumpere, quam foediſſimum eſt ſingulos non ſervare? Nihil itaque nobis diſplicibilius, nihil mentibus noſtris gravius eſſet, quam ruptae fidei maculis inquinari. Haec pro tanto praefati ſumus, quod ſicut novit veſtra Fraternitas cum Communi Fulginei veſtri Communis conſenſu per Andream de Salviatis, & Thomaſium Marchi etiam vice noſtri populi fuerunt in certa forma induciae ſtipulatae. Quod quantumcumque fuiſſet nobis gratum, pro quiete tamen veſtrae Reipublicae fuit ſpecialiter procuratum. Et quod videbantur in hoc quaedam minus utiliter ſtipulata, in confirmatione dictae treguae nuper facta per Nobilem Virum Conradum de Trinciis,

&

& Populum Fulginatem in manibus dicti Andreae, & Thomaſii de Strozzis iuxta veſtra vota fuerunt omnia reformata. Nunc autem neſcimus, qua malignantium protervia, & qua iniquitate nonnulli veſtrorum adhaerentium, qui in Aſſiſio (1) & in Caſtro Cannariae Galglioli, & Radionis habitant, Fulginatum territorium quotidie hoſtiliter inquietant, per quae turbatur tranquillitas Patriae, ſuſcitantur ſcandala, & quod omnium turpiſſimum eſt, fides veſtra, & quod ſumme dolemus noſtra, manifeſtiſſime violatur: Et ut vobiſcum plane loquamur, potius vellemus hunc impetum in partibus noſtris, & in noſtro territorio pati, quam talia videre, & fidem, quam per Dominos Andream, & Thomaſium dedimus in dicti Communis Fulginei finibus attentari. Quo circa Fraternitatem Veſtram requirimus, & rogamus, quatenus amore noſtri, & pro honore noſtri Communis, & per ſiquid unquam nobis gratum, acceptum, vel honorabile intenditis, obſervari. Dignemini ſuper hoc tale remedium adhibere, quod iam facta per reſtitutionem integram reſtaurentur, & ſimilia non poſſint in poſterum evenire. Nam cum ipſum Commune, & dictum Conradum ſingulariſſime diligamus, etiam ultra fractionem fidei, nobis eſt hoc totum, ultra quam poſſit, tam diſplicibile, quam moleſtum. Datum Florentiae die ultima Aprilis MCCCLXXVIII.

(1) Aſſiſium Urbs Umbriae, D. Franciſci Natalibus clara, inter Peruſiam 10. & Fulginium ad ortum 8. mill. paſſ. diſtans.

LXI.

REGI UNGARIAE. (1)

SErenissime, atque invictissime Princeps: Sicut scribunt Celsitudini Vestrae Magnifici Domini nostri, innata devotio, quam semper ad Maiestatem Vestram, & totum Sacratissimum vestrum Sanguinem habuimus multis respectibus nos compellit, ut quicquid arduum nobis occurrit Serenitati Vestrae curemus specialiter intimare. Quem enim orbis Principem; quam Maiestatem extra gloriosissimum vestrum sanguinem imploremus? Nos enim civitatem, statum, libertatem, & cuncta nostrae Reipublicam ornamenta, a Vestrae Celsitudinis Clarissimis Progenitoribus recognoscimus, & habemus. Ex quo ad Regiam sublimitatem pertinet, quae nos tangunt, tamquam de veris filiis nullatenus ignorare. Sane ad Serenitatis vestrae notitiam credimus pervenisse, qualiter post rupturam tractatus pacis inter nos, & Sanctae Matris Ecclesiae Pastores in Anania ventilati, quae facta

(1) Ludovico Regi Ungariae, Caroli Umberti Filio, Fratri Andreae, sive Andreassi primi Reginae Ioannae viri.

cta fuit in conſpectu Oratorum veſtrae Sereniſſimae Maieſtatis, Summus Pontifex in mediatorem elegit Magnificum Fratrem noſtrum Dominum Bernabovem; ad quod medium, propter zelum pacis, & Apoſtolicae Sedis reverentiam, noſtra devotio ſe convertit. Ob quod Sanctae recordationis Dominus Gregorius Papa undecimus, ſuos Commiſſarios deſtinavit Reverendiſſimum Patrem Dominum Cardinalem Ambianenſem pluribus aliis Reverendis Patribus ſociatum, uſque Sarezanam, cum quibus, in manibus praefati Domini pacem, & concordiam tractaremus; noſque ſolemniſſimos noſtros Oratores tranſmiſimus verſa vice: ſperabamuſque, quamvis maxima, & impoſſibilia peterentur, pacem finaliter debere concludi, nec demum iuſta, & obtentu facillima poſtulari. Dumque haec tractarentur ſupervenit deflendus obitus praefati Summi Pontificis, qui die XXVII. menſis Martii proxime praeteriti, morbo ſatis longo (1) abſumptus, in Domino requievit. Ex quo neceſſe fuit tractatum huiuſmodi rumpere, & creationem novi Summi Pontificis exſpectare. Nunc autem fuit ad apicem Apoſtolatus aſſumptus Vir Italicus, natione, ut dicitur, Neapolitanus, olim Archiepiſcopus Barenſis. Eius adhuc intentionem ad pacem Patriae, & tranquillitatem Italiae non videmus. Iam praeſentibus ordinatis ſupervenerunt veſtrae Benignitatis gratioſiſſi-

L 4 mae

(1) Gregorii XI. morbus fuit Veſicae dolor, ſeu *Male di Pietra*. Leon. Aret. Hiſt. Flor. lib. 8.

mae litterae, quibus requiſitionem factam per olim Sanctiſſimum Summum Pontificem, per Apoſtolicas litteras, & nuntios intimatis, copiam praemortui Chriſti Vicarii deſtinando, per quas nos Veſtra Serenitas requirebat, an contentaremur, Veſtrae Celſitudinis nomine, Illuſtriſſimum Principem Dominum Carolum de Dyrachio (1) fore praedictae pacis, & concordiae tractatorem. Ad quae non oportet, nec etiam poſſet praeſentialiter reſponderi: quum Paſtore mutato, quid intendat novus Sanctiſſimus Pater convenit praeſtolari. Unum tamen quoad hoc nolumus ſubticere, quod quamvis per cuiuſcumque manus pacem prius invenire poterimus, intendamus pacem, & concordiam acceptare, nullum tamen medium intenſius optaremus, quam illud, quod Veſtra decerneret Serenitas ordinandum. Ceterum per litteras Veſtrae Maieſtatis ad Nobilem Virum Simonem Rainerii de Puccis Civem noſtrum Cariſſimum deſtinatas, accepimus quantam turbationem aſſumpſerit Veſtra Maieſtas, ob expulſionem noſtrorum mercatorum de veſtra Civitate Fedarae factam, & quanta cum humanitate ipſos benigne recipi iuſſerit, & tractari (2). In quo, ſicut in cunctis, immen-

(1) Carolus de Dyrrachio Regis Ungariae Nepos fuit, qui a Pontifice Urbano VI. in Regem Neapolitanum renunciatus eſt: Vide ſaepius laudatum Pellinium ad annum 1378. Ad hunc ipſum veluti ad pacis mediatorem data eſt epiſtola XXI. primae partis.

(2) Florentinos Mercatores expulſos fuiſſe pu-ro.

menſitatem oſtenditis caritatis, quam ad devotionem noſtram gerit veſtrae Clementiae celſitudo. De quo, ac etiam de aliis tam domeſtice nuntiatis, & ſcriptis, uberrima Sublimitati Veſtrae referimus impendia gratiarum. Demum Principum Optime, quicquid inter nos, & Apoſtolicam Sedem continget, ad quam viſitandam noſtros Oratores decrevimus mittere, ſive pacis, ſive belli, ſive tractatus concordiae, totum glorioſiſſimae Magnitudini Veſtrae curabimus intimare. Si tamen unum addiderim, quod Sereniſſimus Princeps Inclytus Rex Francorum ſuos pro pace tractanda transmiſerat Oratores, Reverendum Patrem Dominum Petrum Epiſcopum, & Ducem Laudinenſem ac Parem Franciae; Magnificos Dominos Dominum Simonem Comitem de Brena eiuſdem Maieſtatis Conſanguineum, & Dominum Rodulfum Dominum de Renavalle, ... Franciae; & Venerabiles viros Magiſtrum Alermum Boiſtelli magiſtrum regalis hoſpitii, & Quaeſtorem; & Petrum de Corbeia Secretarium dicti Domini regis, qui a nobis honorifice recepti fuerunt, ac ipſis oblatum, quod eramus parati ad pacem, & concordiam per medium praefati Domini Regis, & per manus ipſorum, in praeſentiam eiuſdem Regiae Maieſtatis, bonam diſpoſitionem noſtram in hoc clariſſime demonſtrantes. Qui propter mor-

to, cum omnes Florentini a Summo Pontifice Gregorio XI. ſunt excommunicatione damnati, ſicut inferius videbimus.

mortem Summi Pontificis Lucam, & deinde Piſas ſeceſſerunt: nec ſcimus adhuc an ſint hac de cauſſa in Romanam Curiam profecturi. Quid autem de ipſis ſequetur, curabit Maieſtati Veſtrae noſtra devotio referare, cui noſtrum Commune, & Mercatores noſtros humilitate debita commendamus (1). Celſitudinem Veſtram curetur Altiſſimus conſervare in exaltationem throni veſtri, ac defenſionem Fidei Chriſtianae, cuius Vos ſtatuit ſingularem pugilem, & athletam. Datum Florentiae die VI. menſis Maii prima Indictione MCCCLXXVIII.

DO-

(1) Mercatores enim Florentini, ob excommunicationem a Pontifice in eos latam, ab omni regione eiiciebantur, ut inferius habebimus.

LXII.

DOMINO FRANCISCO DE SAVORGNANO (1) VICEDOMINO GENERALI PATRIARCHAE AQUILEIENSIS COMITATIBUS TERRAE UTINI (2) CIVITATIS AUSTRIAE CLEMONAE ET AVENZONAE.

MAgnifici viri Amici cariſſimi. Ex relatibus plurium fide dignorum accepimus, qualiter Florentinos ſemper, & praeſertim his temporibus feciſtis favorabiliter, & benigne tractari, ultra quam lingua proferre, aut calamo ſcribere valeremus, ipſoſque gratioſe, & amicabiliter receptaſtis, eis quicquid favoris, aut honoris fieri potuit impendendo, de quibus omnibus gratias vobis referimus copioſas, rogantes Altiſſimum Creatorem, quatenus vobis merita digna retribuat, quoniam nos nunquam retribuere valeremus, conſideratis veſtris optimis operibus, & virtute, nihilominus Commune noſtrum, & datis, & factis ad cuncta veſtra beneplacita offerimus promptum. Cives autem noſtros amicitiae ve-ſtrae

(1) Franciſcus Savorgnanus invenitur etiam apud Ughellium Italiae Sacrae T. V. de Patriarchis Aquileienſibus.

(2) Utinus Urbs ab Aquileia 20. mill. paſſ. in Occaſum diſtans, Patriarchae Aquileienſis ſedes.

ſtrae, quanto poſſumus ſtrictius, commendamus, vos rogantes, ut ipſos prout feciſtis temporibus retroactis dignemini gratioſe, & benigne facere pertractari, prout in vobis ſpem & fiduciam ſingularem gerimus & habemus: notificanteſque vobis, quod cum SS. Patre & Domino noſtro Domino Summo Pontifice pacem ſperamus ſine mora, Deo praevio, obtinere, in qua inſeri inter cetera faciemus, quod omnes Domini, Civitates, communia, caſtra, villae atque perſonae in quibuſcumque mundi partibus conſtitutae, qui, vel quae receptaſſent aliquem Florentinum, vel cum eodem communicaſſent, aut eidem dediſſent auxilium, vel favorem excommunicatione, interdicto, proceſſu, ſententia, atque paena liberabuntur, & penitus abſolventur (1) parati ad omnia beneplacita veſtra. Datum Florentiae die XVII. Maii prima Indictione MCCCLXXVIII.

AR-

(1) Omnes enim Florentinos ſolemni excommunicatione a Gregorio XI. fuiſſe damnatos refert Poggius Hiſt. lib. 2. cuius verba, cum huic Epiſtolae maximae lucis ſint, in medium afferre aequum duxi. *Multas tandem poſt diſceptationes damnati Florentini, ac extra Chriſtianorum conſortium eiecti, interdictumque aqua, & igni, ipſi quoque, & eorum bona in ſervitutem, & praedam condonata, qua ex gravi cenſura id Florentina Reſpub. conſequuta eſt, ut maximo rerum ſuarum incommodo, omiſſis mercaturis, quas variis in regnis exercebant, multiſque deperditis bonis, redire omnes in patriam compulſi ſint, & multorum amplae fortunae amiſſae, &c.* Hi autem, quibus haec Epiſtola dirigitur ea tempeſtate Florentinis faviſſe videntur.

LXIII.

ARRETINIS.

AMici Cariſſimi. Intelleximus quod quidam malevoli, & qui conantur Zizania ſeminare, Nobilem Virum Carolum de Aſignano fideliſſimum civem noſtrum apud vos falſis coloribus diffamarunt. De quo maximam cauſſam admirationis adſumpſimus, conſiderantes quod idem Carolus numquam dicto, vel facto, nec palam, vel in occulto proiudicium veſtri Communis, aut Regiminis aliquid extitit operatus, immo ſemper pro honore, utilitate, & ſtatu dicti veſtri Regiminis, & Communis omnia poſſibilia fecit, & facit continuo, laboribus numquam parcens. Ob quod eundem Carolum, tamquam benemeritum, amore noſtri dignemini, favorabiles in cunctis, recipere commendatum. Et quoniam audivimus quod eidem ſcripſiſtis quod ad veſtram praeſentiam ſe conferret, & quoniam hei pro veſtro Communi, & Regimine multa utilia operatur, veſtram amicitiam ſtrictiſſime, quantum poſſumus deprecamur, quatenus in noſtram complacentiam ſingularem vobis placeat dicto Carolo heic ſtandi licentiam impertiri, & eundem ad civitatem veſtram nullatenus revocare. Datum Florentiae die XVII. Menſis Maii MCCCLXXVIII.

DO-

LXIV.

DOMINO IOANNI HAUCUD.

AMice Cariſſime. Scimus concordiam, in qua vobiſcum, & cum Roggerio Cane, aliiſque remanſimus, circa ſolutiones Theutonicorum veſtrae brigatae, & Britonum, & circa ſervitia habenda a gentibus ſupradictis. De qua concordia nihil adhuc factum eſſe comperimus pro parte Magnifici Fratris noſtri Domini Bernabovis; quoniam heri ab eo recepimus litteras, quarum copiam vobis mittimus praeſentibus interclusam, rogantes amicitiam veſtram inſtanter, quatenus de praefata concordia faciatis eſſe contentum praefatum magnificum Fratrem noſtrum D. Bernabovem. De Theutonicis autem heic exiſtentibus nullum valemus habere ſervitium, quoniam aſſerunt pagas trium menſium debere recipere, & prout plene noviſtis, nos die ſexta menſis praeſentis ſolutionem dictis Theutonicis debebamus incipere. Quamobrem efficaciter placeat operari, quod dictis Theutonicis pagae ſupradictae indilatae mittantur, & qui mandatum habeant nobis in omnibus obedire. Super quibus omnibus per latorem praeſentium placeat reſpondere. Ceterum quae amicitia, & fraternitas

nitas contracta inter Magnificum Fratrem noſtrum praefatum, & nos, & ſibi, & nobis fuit, & eſt utilis & honorabilis, & ſtatui ſuo, & noſtro plurimum contulit. Vos rogamus ut cum Illuſtri Domina Domina Regina, vel cum quocumque alio placeat operari, quod Idem Magnificus Frater noſter amicitiam, & fraternitatem inceptam conſervare nobiſcum, & quamlibet turbationem, ſiquam ſumpſiſſet, deponere, quoniam intendimus cum eodem perſeverare amicitia, & fraternitate praefata. Datum Florentiae die XVII. Maii prima Indictione MCCCLXXVIII.

LXV.

PERUSINIS.

FRatres Cariſſimi. Prout iamdiu per plures noſtras litteras vobis ſcripſimus, Magnificus Frater noſter Dominus Bernabos, conduxit ad Ligae ſtipendia in omnium Colligatorum ſalutem, & ſtatum, magnificum militem Dominum Ioannem Haucud, videlicet cum certa quantitate Anglicorum, & certo ſtipendio pro tempore unius anni, cuius ſtipendii partem tertiam ſolvere debebat idem Dominus Bernabos, & reliquas duas partes nos & alii colligati, prout per cedulam his incluſam veſtra Fraternitas poterit adnotare.

Quo-

Quocirca Fraternitatem veſtram tenore praeſentium hortamur, requirimus & rogamus, quatenus, omni mora ſublata, reſiduum pecuniae pro dictis Anglicis veſtro Communi tangentis placeat facere numerari, vice noſtri communis, Filippo Pelli Cariſſimo Civi noſtro, ut de ipſa ſolvi poſſit ſtipendiariis noſtris ad veſtra ſervitia conſtitutis, quoniam alias non poſſent ad noſtra ſervitia remanere. Debet enim ſufficere, quod dictis Anglicis maximo noſtri Communis incommodo ſolvi fecimus iam eſt diu, ut vos & alios defenderent colligatos, & ne hoſtes veſtrum territorium equitarent, quod habuiſſet effectum, niſi foret virilis reſiſtentia Anglicorum. Et ob id iterum atque iterum vos requirimus, & rogamus, quatenus pecuniam ſupradictam ſolvere placeat indilatam, non obſtante quod ſindacatum ad vos quietandum adhuc non miſerimus, quem procurabimus mittere ſine mora. Datum Florentiae die ſecundo Iunii MCCCLXXVIII.

NI-

LXVI.

NICOLAO CLISTON ANGLICO.

Receptis litteris veſtris ſcriptis Bagnacavalli, (1) per quas ſcribitis in fine veſtrae firmae acceſſiſſe Florentiam, ut ſciretis ſi amplius volebamus veſtra ſervitia, & quod vobis dignati non fuimus reſpondere, &c. Reſpondemus quod de iis, quae ſcribitis cogimur non modicum admirari, maxime cum nullum ſtipendiarium habeamus, quem magis dilexerimus, ac etiam diligamus, nec non conſiderato, quod Spinellus Lucae Theſaurarius noſter exiſtens vobiſcum ratiociniis veſtrae firmae volebat ſuper ipſa concordare vobiſcum. Cui reſpondiſtis, quod quum quidam ex Sociis veſtris plures volebant lanceas, quam haberent, & nunc eratis de intentione eorum plenarie informatus, volebatis ad ipſos redire, & cum brigata Florentiam accedere, & poſtmodum reſpondere. Et ob hoc habuiſtis a nobis aureos quadringentos. Quocirca quum vos velimus potius, quam aliquem alium ad noſtrum ſtipendium retinere; & intentionis noſtrae ſit vobis brigatam pro rata augere, prout fecimus Bervich, & etiam ultra, vos rogamus ut pro honore veſtro, & amore noſtri vobis placeat huc accedere cum veſtra brigata quam poteſtis celerius. Nos enim diſpoſiti ſumus taliter erga vos agere, quod me-

(1) Tiberiacum oppidum Romandiolae.

merito poteritis, & debebitis contentari. Unum ſilentio nolumus pertranſire, quod attenta confidentia, quam in vobis gerebamus, & gerimus non debebatis tales modos, quales feciſtis, tenere nobiſcum, quoniam & contra honorem veſtrum & inhoneſti fuerunt, & ſunt. Datum Florentiae die XVII. Iulii prima Indictione MCCCLXXVIII.

LXVII.

DOMINO RINALDO. (1)

AMice Cariſſime. Ex relationibus nobis factis per Nobilem virum Roggerium Canem, prout ipſe a quodam ſuo amico nobis aſſeruit habuiſſe, didicimus qualiter treguam cum Britonibus contraxiſtis pro duobus menſibus, & cum Domino Rodulfo de Camerino pro quindecim diebus, de quibus omnibus multipliciter contentamur; ac etiam contentamur, quod eandem treguam pro duobus menſibus, prout cum Britonibus feciſtis, etiam faciatis cum Domino Rodulfo praefato. Datum Florentiae die XVII. Iulii prima Indictione MCCCLXXVIII.

AS-

(1) Rainaldus Firmii Dominium habuit: ad hunc exſtant in prima parte Epiſtolae XV. XXIV. & XXVII.

LXVIII.

ASTORGIO DOMINO BELTRANDO (1) ET DOMINO SINIBALDO.

